VITA
S. AVGVSTINI EPISCOPI
ECCLESIAE DOCTORIS,
IPSIVS ANTE ET POST AB EO SVSCEPTVM BAPTISMVM GESTA COMPLECTENS.

PETRI OLDRADI MEDIOLANENSIS Archiepiſcopi Epiſtola ad Carolum Magnum De tranſlatione S. Auguſtini ex Sardinia Papiam.

Item

EX VERBIS MARTINI PAPAE QVINTI SERMO

De Tranſlatione Sanctæ Monicæ Oſtia Romam.

NVNC PRIMVM PRAETER VITAM QVAM Poſſidius ſcripſit, in lucem edita

PER F. AVGVSTINVM FIVIZANIVM ROMANVM Apoſtolici Palatij Sacriſtam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVPERIORVM PERMISSV.

Romæ, Ex Officina Ioan. Martinelli Ad ſignum Phœnicis.
M. D. LXXXVII.

ILLVST.MO AC REVER.MO D.D. IACOBO EPISCOPO POR-TVENSI CARDINALI SABELLO, INQVISITORI SVPREMO, S.D.N. PAPAE VICARIO, ET AVGV-STINIANI ORDINIS PRO-TECTORI.

F. Auguſtinus Fiuizanius Romanus, Apoſtolici Palatij Sacriſta.

DEPOSUERAT olim apud me Chriſtophorus Patauinus Auguſtinianæ familiæ Magiſter Generalis, vir non minus pius quam doctus Sermonem Martini V. Romani Pontificis, habitum ad Fratres Ordinis noſtri, quo tempore Sacrum ſanctæ Monicæ corpus Oſtia Romam multis miraculis coruſcans celebri pompa deductum eſt. Superiori præterea anno Iacobus Oldradus Beneficiatus Baſilicæ Principis Apoſtolorum in Urbe vetuſtæ cuiuſdam Epiſt[illegible]hi copiam fecit, quam Petrus Oldradus quondam [illegible]diolanenſium Archiepiſcopus de Tranſlatione ſacrarum reliquiarum S. Auguſtini ex Sardinia Papiam tempore Luitprandi Inſubrum Regis facta ad Carolum Magnum conſcripſerat. Hæc ſcripta Reu. P. Magiſtri Thaddæi noſtri Ordinis Generalis Vicarij, & aliorū piorum, eruditorumque virorum, qui ea apud me extare

intellige-

intelligebant, conſilio ac hortatu vt in publicum emitterētur curaui, & eiſdem ſuadentibus, Beatiſſimi P. Auguſt. vitā ſimul edidi in duas partes diuiſam. Prior pars, quā ego ex libris Confeſſionum collectam, eiuſdem Auguſtini verbis expreſſi, illius res geſtas complectitur, dum ad huc infidelitatis tenebris inuolueretur. Altera per Poſſidium, quē Poſſidoniū alij appellant, diſcipulum eius elucubrata, Auguſtini iam fonte baptiſmatis abluti, & regenerati actiones commemorat, & exponit. Has initio huius libelli præfiximus. Inde Tranſlationes ſequuntur. Tibi vero Princeps Ampliſſime multis nominibus hæc dicanda fuerunt. Sed eo potiſſimum, quoniam ſacra hæc pignora ipſorumque poſſeſſores, & quicquid denique per vniuerſum orbem habet, & poteſt Auguſtiniana Religio iam tot annos admirabili tua ſapientia, prudentiſſimis conſilijs, & paterna charitate ſoues, tueris, protegis, & quantum in te eſt, extollis, & auges, vt omnia noſtra tibi merito debeantur. Accipe ergo ſereno vultu, & qua ſoles humanitate munuſculum clientis tui multorum benificiorum in ſe collatorū publicum teſtimonium, mole quidē exiguum, virtute nihilominus, & auctorum, argumentorumq. grauitate non omnino aſpernandum. Quod propterea etiam tibi non ingratum fore mihi perſuaſi, quoniam coeremitis meis, tuis in Chriſto filijs, vtile proculdubio futurum exiſtimaui. Vale, Romæ, ex Sacrario Apoſtolico. V. Idus Octobris. Anno M. D. LXXXVI.

VITA

VITA
S. AVRELII AVGVSTINI THAGASTEN. CVM ADHVC INFIDELIS ESSET, EX VERBIS IPSIVS IN LIBRIS CONFESSIONVM

PER F. AVGVSTINVM
Fiuizanium Romanum, Apoſtolici
Palatij Sacriſtam
Collecta.

EX LIBRO PRIMO CONFESSIONUM. Cap. I.

MAGNVS es Domine, & laudabilis valde, & magna eſt virtus tua, & ſapientiæ tuæ non eſt numerus. Quis mihi dabit requieſcere in te? Quis mihi dabit, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum ampleƈtar te? Quid mihi es? Miſerere, vt loquar: Sine me loqui apud miſericordiam tuam, me terram & cinerem. Sine me tamen loqui, quoniam ecce miſericordia tua eſt, non homo irriſor meus, cui loquor. Quid enim eſt, quod volo dicere, Domine Deus meus, niſi, quia neſcio, vnde venerim huc in iſtam, dico mortalem, vitam: mortalem dicam vitam, an mortem vitalem? neſcio. Et ſuſceperunt me conſolationes miſerationum tuarum ſicut audiui à parentibus carnis meæ; ex qua, & in qua formaſti me

cap. 1. — cap. 5. — cap. 6. — Deſcriptio infantię.

in tem-

in tempore: non enim ego memini. Exceperunt ergo me cõ ſolationes lactis humani. Nec mater mea, vel nutrices meæ ſibi vbera implebant; Sed tu mihi, Domine, per eas dabas alimentum infantiæ ſecundum inſtitutionem tuam. Tu mihi dabas, nolle amplius, quam dabas; & nutrientibus me, dare mihi velle, quod illis dabas. Nam tunc ſugere nouerã, & acquieſcere delectationibus; flere autem offenſiones carnis meæ, nihil amplius. Poſt hæc ridere cœpi, dormiens primo, deinde vigilans. Hoc enim de me mihi indicatum eſt; & credidi; quoniam ſic videmus & alios infantes. Nam iſta mea non memini. Et ecce paulatim ſentiebam vbi eſſem; & voluntates meas volebã oſtendere eis, per quos implerẽtur, & non poteram; quia illæ intus erant, foris autem illi: nec vllo ſuo ſenſu valebant introire in animam meam. Itaque iactabam membra, & voces, ſigna ſimilia voluntatibus meis, pauca, quæ poteram, qualia poteram. Non enim erant veriſimilia. Et cum mihi non obtemperabatur, vel non intellecto, vel ne obeſſet; indignabar non ſubditis, maioribus, & liberis non ſeruientibus; & me de illis flendo vindicabam. Tales eſſe infantes didici, quos diſcere potui; & me talem fuiſſe magis mihi indicauerunt non ſcientes, quã ſcientes, nutritores mei. Et ecce infantia mea olim mortua eſt, & ego viuo. Confiteor tibi, Domine cæli & terræ, laudem dicens tibi de primordijs, & infantia mea; quæ non memini, & dediſti ea homini ex alijs conijcere; & auctoritatibus etiam muliercularum multa de ſe credere. Erã enim, & viuebam etiam tunc, & ſigna, quibus ſenſa mea nota alijs facerem, iam in fine infantiæ quærebam. Sed ecce omitto illud tempus. Et quid mihi iam cum eo eſt, cuius nulla veſtigia recolo?

Naſcit, & lactatur.

Flet. Dormit. Ridet.

Indignatur quia nõ ſatisfit volun tatib⁹ ſuis. Fletu ſe vindicat.

cap. 8.

Nonne ab infantia huc pergens ueni in pueritiam, uel potius ipſa in me uenit, & ſucceſſi infantiæ? Nec diſceſſit illa. Quo enim abijt? Et tamen iam non erat. Non enim eram infans, quia non farer; ſed iam puer loquens eram, & memini hoc; & unde loqui didiceram poſt aduerti: Non

Deſcriptio pueritię. Infans vn de dicitur. Loqui, qua ratione didicerit.

enim docebant me maiores homines, præbentes mihi uerba certo aliquo ordine doctrinæ, ſicut paulo poſt litteras: ſed ego ipſe mente, quam dediſti mihi, Deus meus, cum gemitibus, & uocibus, uarijſque membrorum motibus edere uellem ſenſa cordis mei, ut uoluntati pareretur; nec ualerem, quæ uolebam, omnia, nec quibus uolebam, omnibus; penſabam memoria, cum ipſi appellabant rem aliquã; & cum ſecundum eam uocem corpus ad aliquid mouebant, uidebã, & tenebam, hoc ab eis uocari rem illam, quod ſonabant, cũ eã uellent oſtendere. Hoc autẽ eos uelle, ex motu corporis aperiebatur, tamquam uerbis naturalibus omniũ gentium, quæ fiunt uultu, & nutu oculorum, cæterorumq; membrorum actu, & ſonitu uocis indicante affectionem animi, in petendis, habendis, reijciendis, fugiendiſuè rebus. Ita uerba in uarijs ſententijs, locis ſuis poſita, & crebro audita, quarum rerum ſigna eſſent paulatim colligebam; meaſq. iam uoluntates, edomito in eis ſignis ore, per hæc enunciabam. Sic cum ijs, inter quos eram, uoluntatum enunciandarum ſigna communicaui, & uitæ humanæ procelloſam ſocietatem altius ingreſſus ſum, pendens ex parentum auctoritate, natuq. maiorum hominum. *Quę ſint omniũ gentium verba naturalia.*

Deus Deus meus, quas ibi miſerias expertus ſum, & ludificationes? qñquidem mihi rectè viuere puero id proponebatur, obtemperare monentibus, vt in hoc ſæculo florerem, & excellerem linguoſis artibus ad honorem hominum, & falſis diuitijs famulantibus. Inde ad ſcholas datus ſum, vt diſcerem litteras; in quibus quid vtilitatis eſſet ignorabã miſer; & tamen ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam. Inuenimus autem, Domine, homines rogantes te, & didicimus ab eis, ſentientes tè, vt poteramus, eſſe magnũ aliquẽ, qui poſſes, etiam non apparens ſenſibus noſtris, exaudire nos, & ſubuenire nobis. Nam puer cœpi rogare te, auxilium, & refugium meũm, & in tuã inuocationem rumpebam nodos linguæ meæ; & rogabam te paruus, non paruo affectu, ne in ſchola vapularem. Et cum me non exaudiebas, *cap. 9. Ad ſcholas datur. Vapulat. Puer Deũ rogat, ne vapulet in ſchola. pſal. 21.*

quod non erat ad inſipientiam mihi, ridebantur à maioribus hominibus, vſque ab ipſis parentibus, qui mihi accidere mali nihil volebant, plagæ meæ; magnum tunc, & graue malum meum. Peccabamus tamen, minus ſcribendo, aut legendo, aut cogitando de litteris, quam exigebatur à nobis. Non enim deerat memoria, vel ingenium, quæ nos habere voluiſti pro illa ætate ſatis. Sed delectabat ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia vtique agebãt. Ludebam pila puer, & eo ludo impediebar, quo minus celeriter diſcerem litteras, quibus maior deformius luderem.

Peccata pueri ſcholaris.

Et tamen peccabam, Domine Deus meus, faciendo contra præcepta parentum, & magiſtrorum illorum. Poteram enim poſtea bene vti litteris, quas volebant vt diſcerem, quocunque animo illi mei. Non enim, meliora eligens, inobediens eram, ſed amore ludendi.

cap. 10.

Audieram ego adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri, deſcẽdentis ad ſuperbiam noſtram; & ſignabar iam ſigno crucis eius, & condiebar eius ſale iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum ſperauit in te. Vidiſti, Domine, cum adhuc puer eſſem, & quodam die preſſu ſtomachi repente æſtuarem, pene moriturus. Vidiſti, Deus meus, quo motu animi, & qua fide baptiſmum Chriſti tui, Dei, & Domini mei flagitaui à pietate matris meæ, & matris omnium noſtrum Eccleſiæ tuæ, & conturbata mater carnis meæ, quoniam & ſempiternam ſalutem meam carius parturiebat corde caſto in fide tua; iam curaret feſtinabunda, vt ſacramentis ſalutaribus initiarer, & abluerer, te, Domine Ieſu, confitens in remiſſionem peccatorum, niſi ſtatim recreatus eſſem. Dilata eſt itaque mundatio mea. Ita, iam credebam, & illa, & omnis domus, niſi pater ſolus; qui tamen non euicit in me ius maternæ pietatis, quominus in Chriſtum crederem, ſicut ille nondũ crediderat. Nam illa ſatagebat, vt tu mihi pater eſſes, Deus meus, potius quam ille, & in hoc adiuuabas eam, vt ſuperaret virum cui melior ſeruiebat; quia & in hoc

cap. 11. A pueritia erga pietatem Chriſtianam bene affectus. Morbo graui correptꝰ flagitat baptiſmum.

Conualeſcẽs baptiſmũ differt. Omnis domus eius fidelis præter vnũ patrem.

tibi

tibi vtique, id iubenti, ſeruiebat.

In ipſa tamen pueritia, de qua mihi minus, quam de adoleſcentia metuebatur, non amabam litteras,& me in eas vrgeri, oderam; & vrgebar tamen: & mihi bene fiebat, nec faciebam ego bene. Non enim diſcerem,niſi cogerer.

cap.12. Non amabat literas.

Quid autem erat cauſæ, cur græcas litteras oderam,quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi ſatis exploratum eſt. Adamaueram enim latinas,non quas primi magiſtri, ſed quas docent, qui grammatici vocantur. Nam illas primas, vbi legere, & ſcribere, & numerare diſcitur, non minus onerofas, pœnalesq́. habebam, quam omnes græcas. Iam vero vnum & vnum,duo; duo & duo,quatuor; odioſa cantio mihi erat; & dulciſſimum ſpectaculum vanitatis, equus ligneus, plenus armatis, & Troiæ incendium atque ipſius vmbra Creuſæ.

cap.13. Græcas literas od.t. Odioſa illa cãtio in numeris diſcendis. Verg. Aen. lib.2.

Sine me, Deus meus, dicere aliquid de ingenio meo, munere tuo, in quibus à me deliramentis atterebatur. Proponebatur enim mihi negotium, animæ meæ ſatis inquietum, præmio laudis, & dedecoris, vel plagarum metu, vt dicerem verba Iunonis iraſcentis, & dolentis, quod non poſſet Italia Teucrorum auertere Regem, quæ nunquam Iunonem dixiſſe audieram; ſed figmentorum poeticorum veſtigia errantes ſequi cogebamur, & tale aliquid dicere ſolutis verbis, quale Poeta dixiſſet verſibus. Et ille dicebat laudabilius,in quo pro dignitate vmbratæ perſonæ,iræ, ac doloris,ſimilior affectus eminebat, verbis ſententias congruenter veſtientibus. Vt quid mihi illud, ò vera vita,Deus meus? Quid mihi recitanti acclamabatur præ multis coætaneis, & conlectoribus meis? Non ne ecce omnia illa fumus, & ventus?

cap.17. Ratio exercendę iuuẽtutis ad dicendum. Verg.Aen. lib.1.

Quid autem mirum, quod in vanitates iſtas ita ferebar; & à te, Deus meus, ibam foras, quando mihi imitandi perponebantur homines, qui aliqua facta ſua, non mala ſi cum barbariſmo, aut ſolœciſſimo enunciarent,reprehenſi confundebantur; ſi autem libidines ſuas, integris & rite:

cap.18. Hoĩum cura ĩ legib. Grãmaticorũ,& nõ ĩ Dei pcep. ſeruãdis

con-

conſequentibus verbis, copioſe, ornateque narrarent, lau dati gloriabantur? Vide Domine Deus, & patienter, vt

Notāda ſe-tentia.

vides, vide, quomodo diligenter obſeruent filij hominum pacta ſyllabarum, & litterarum, accepta à prioribus locuto ribus, & à te accepta æterna pacta perpetuæ ſalutis negligant.

cap. 19.

Plus curauit vitare barbariſmum, quā vitia morū

Horum ergo puer morū in limine iacebā miſer, & huius arenæ paleſtra erat illa, vbi magis timebam barbariſmum facere, quam cauebam, ſi facerem, non facientibus inuiderem. Dico enim & confiteor tibi, Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere tunc, mihi erat honeſte viuere. Non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam proiectus eram ab oculis tuis. Nam in illis quid iā me fœdius fuit? vbi etiam talibus diſplicebam, fallendo innumerabilibus mendacijs, & pædagogum, & magiſtros, & parentes amore ludendi, ſtudio ſpectandi nugatoria, & imitandi ludicram inquietudinem. Furta etiam faciebam de cellario parentum, & de menſa; vel gula imperitante, vel, vt haberem, quod darem pueris, ludum ſuum mihi, quo pariter vtique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiā ludo fraudulentas victorias ipſe, vanæ excellentiæ cupiditate victus, ſæpe aucupabar. Quid autem tam nolebam pati, atque atrociter, ſi deprehenderem, arguebam, quam id, quod alijs faciebam? & ſi deprehenſus arguerer, ſæuire magis quam cedere libebat? Iſtane eſt innocentia puerilis? Non eſt, Domine, non eſt.

Furabat de cellario parentum.

Ex Libro. II.

cap. 2. Adoleſcentię ætatē, & vitia ingreditur.

VBi eram, & quam longe exulabam à delitijs domus tuæ anno illo ſextodecimo ætatis carnis meæ? cum accepit in me ſceptrum, & totas manus ei dedi, veſania libidinis, licentioſæ per dedecus humanum, illicitæ autem per leges tuas. Non fuit cura meorum, ruentem excipere me matrimonio, ſed cura fuit tantum, vt diſcerem ſermonem

facere

facere quam optimum, & perſuadere dictione.

Et anno quidem illo intermiſſa erant ſtudia mea, dum mihi reducto à Medauris, in qua vicina vrbe iam cœperam litteraturæ, atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginē peregrinationis ſumptus præparabantur, animoſitate magis, quam opibus patris, municipis Thagaſtenſis admodum tenuis. Quis non extollebat laudibus tunc hominem patrem meum, quod vltra vires rei familiaris ſuæ, impēderet filio, quicquid etiam longe peregrinanti ſtudiorum cauſa opus eſſet? cum interea non ſatageret idem pater, qualis creſcerem tibi, aut quam caſtus eſſem, dummodo eſſem diſertus, vel deſertus potius à cultura tua, Deus, qui es vnus verus, & bonus dominus agri tui cordis mei. Sed vbi ſextodecimo illo anno, interpoſito otio ex neceſitate domeſtica, feriatus ab omni ſchola cum parentibus eſſe cœpi; exceſſerunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus. Quinimo vbi me ille pater in balneis vidit pubeſcentem, & inquieta indutum adoleſcentia, quaſi iam ex hoc in nepotes geſtiret, gaudēns matri indicauit, gaudens vinolentia; in qua te iſte mundus oblitus eſt creatorem ſuum, & creaturā tuam pro te amauit diuino, inuiſibili peruerſe atque inclinate in ima voluntatis ſuæ. Sed matris in pectore iam inchoauerat tēplum tuum, & exordium ſanctæ habitationis tuæ. Nam ille adhuc catechumenus, & hæc recens erat. Itaque illa exiliuit pia trepidatione, ac tremore; & quamuis mihi, nondum fideli, timuit tamen vias diſtortas, in quibus ambulant, qui ponunt ad te tergum, & non faciem.

cap. 3.
Medauris ciuitate vicina Thagaſtę nauat operā oratorię.
Pater Auguſtini tenuis fortunę.

Nulla cura patris in eradicandis vitijs Auguſtini adoloſcentis.

Furtum certe punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominū, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur, æquo animo furem patitur? Et ego furtum facere volui, & feci, nulla compulſus egeſtate, nec penuria, ſed faſtidio iuſtitiæ, & ſagina iniquitatis. Nam id furatus ſum, quod mihi abundabat, & multo melius. Nec ea re uolebam frui, quam furto appetebam, ſed ipſo furto, &

cap. 4.
Furti pirorum particeps Auguſtinus.

peccato.

peccato. Arbor erat pirus in vicinia vineæ noſtræ, pomis onuſta, nec forma, nec ſapore illecebroſis. Ad hanc excutiendam, atque aſportandam, nequiſſimi adoleſcentes perreximus nocte intempeſta, quouſque ludum de peſtilētiæ more in areis produxeramus, & abſtulimus inde onera ingentia, non ad noſtras epulas, ſed vel proijcienda porcis, etiam ſi quid inde comedimus, dum tamen fieret à nobis, quod eo liberet, quo non liceret.

Ex Libro III.

cap. 1. Venit Carthaginem, & amore capitur.

VEni Carthaginem, & circunſtrepebat me vndique ſartago flagitioſorum amorum. Nondum amabam, & amare amabam, & ſecretiore indigentia oderam me minus indigentem. Quærebam quid amarem amans amare, & oderam ſecuritatem, & viam ſine muſcipulis. Amare, & amari, dulce mihi erat, magis ſi etiam amantis corpore fruerer. Rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. Deus meus, miſericordia mea, quanto felle mihi ſuauitatem illam, & quam bonus aſperſiſti? quia & amatus ſum, & perueni occulte ad vinculum fruendi, & colligabar lætus ærūnoſis nexibus, vt cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, & ſuſpicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum. Rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

pſal. 2.

cap. 3. In Eccleſia pcurat fructum mortis, & propterea grauiter punitur.

In quantas iniquitates diſtabui, & ſacrilegam curioſitatem ſecutus ſum, vt deſerentem te, deduceret me ad ima infida, & circunuentoria obſequia dæmoniorum, quibus immolabam facta mea mala, & in omnibus flagellabas me? Auſus ſum etiam in celebritate ſolennitatum tuarum, intra parietes Eccleſiæ tuæ concupiſcere, & agere negotium procurandi fructus mortis: vnde me verberaſti grauibus pœnis. Sed nihil ad culpam meam. Habebant & illa ſtudia, quæ honeſta vocabantur, ductum ſuum intuentem fora litigioſa, vt excellerem in eis hoc laudabilior, quo fraudulentior.

lentior.

lentior. Tanta eſt cæcitas hominum; de cæcitate etiam gloriantium. Et maior eram in ſchola Rhetoris, & gaudebã ſuperbe, & tumebam typho, quamquam longe ſedatior; Domine, tu ſcis; & remotus omnino ab euerſionibus, quas faciebant euerſores.

Maior eſt i ſchola Rhetoris.

cap. 4.

Inter hos ego imbecilla tunc ætate diſcebam libros eloquentiæ, in qua eminere cupiebam fine damnabili, & ventoſo, per gaudia vanitatis humanæ; & vſitato iam diſcendi ordine perueneram in librum quendam cuiuſdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipſius exhortationem cõtinet ad philoſophiã, & vocatur Hortenſius. Ille vero liber mutauit affectum meum, & ad te ipſum, Domine, mutauit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtũ cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, vt ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, (quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum ætatis vndeuiceſimum, iam defuncto patre ante biennium.) Non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, ſed, quod loquebatur, perſuaſerat. Hoc tamen ſolo delectabar in illa exhortatione, quod non illam, aut illam ſectam, ſed ipſam, quæcunque eſſet, ſapientiã, vt diligerem, & quærerem, & aſſequerer; & tenerem, atq; amplexarer fortiter, excitabar ſermone illo, & accendebar, & ardebam: & hoc ſolum me in tanta flagrantia refringebat, quod nomen Chriſti non erat ibi; quoniam hoc nomẽ ſecundum miſericordiam tuam, Domine, hoc nomen ſaluatoris mei, filij tui, in ipſo adhuc lacte matris tenerum cor meum pie biberat, & alte retinebat; & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis litteratum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.

Ex lectione libri, q vocať Hortenſius, inflãmať ad amorem ſapientię.

Libri illi minus placebant, qui ſine nomine Chriſti, quod cum lacte ſuxerat, erant.

cap. 5. Faſtidit literas ſacras ob ſimplicitatem ſtyli.

Itaque inſtitui animum intendere in ſcripturas ſanctas, vt viderem, quales eſſent. Et ecce, video rem, non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu hu-

milem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſterijs, & non erā ego talis, vt intrare in eam poſſem, aut inclinare ceruicem ad eius greſſus. Non enim ſicut modo loquor, ita ſenſi cum attendi ad illam ſcripturam; ſed viſa eſt mihi indigna, quā Tullianæ dignitati compararem.

cap. 6. A Maniche is decipit. Incidi itaque in homines, ſuperbe delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei diaboli, & viſcum, confectum commiſtione ſyllabarum nominis tui, & domini Ieſu Chriſti, & paracliti conſolatoris noſtri Spiritus ſancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum: ſed ſono tenus, & ſtrepitu linguæ; ceterum, cor inane veri. Et dicebant, Veritas, veritas; & multi eam dicebant mihi, & nuſquam erat in eis; ſed falſa loquebantur, non de te tantum, qui vere veritas es, ſed etiam de iſtis elementis huius mundi, creaturis tuis.

cap. 11. Et miſiſti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti animam meam, cum pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera, Exaudiſti eā, nec deſpexiſti lacrymas eius, cum profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudiſti eam. Nam vnde illud ſomnium, quo eam conſolatus es, vt viuere me ſecum crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat auerſans, & deteſtans blaſphemias erroris mei? Vidit enim ſtantem ſe in quadam regula lignea, & aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem, atque arridentem ſibi, cum illa eſſet mœrens, & mœrore cōfecta: Qui cum cauſas quæſiſſet ab ea mœſtitiæ ſuæ, quotidianarumq. lacrymarum, docendi, vt aſſolet, non diſcendi gratia, atque illa reſpondiſſet, perditionem meam ſe plangere; iuſſiſſe illum, quo ſecura eſſet, atque admonuiſſe, vt attenderet, & videret, vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa vbi attendit, vidit me iuxta ſe in eadem regula ſtantem. Vnde illud etiam, quod cum mihi narraſſet ipſum viſum, & ego ad id trahere conarer, vt illa ſe potius non deſperaret futuram eſſe, quod erā,

Somnium iucundum quod de Auguſtino vidit mater.

Somniū in deteriorē partem conatur Aug. interpretari.

continuo

continuo ſine aliqua hæſitatione, Non, inquit, non enim mihi dictum eſt; Vbi ille, ibi & tu: ſed vbi tu, ibi & ille. Nouē ferme anni ſecuti ſunt, quibus ego in illo limo profundi, ac tenebris falſitatis, cum ſæpe ſurgere conarer, & grauius allidérer, volutatus ſum: cum tamen illa uidua caſta, pia, & ſobria, quales amas, iam quidem ſpe alacrior, ſed fletu, & gemitu haud ſegnior, non deſineret horis omnibus orationum ſuarum de me plangere ad te: & intrabant in conſpectum tuum preces eius, & me tamen dimittebas adhuc uolui, & inuolui in illa caligine.

Dediſti alterum reſponſum per ſacerdotem tuum quendam Epiſcopum nutritum in Eccleſia, & exercitatum in libris tuis. Quem cum illa femina rogaſſet, ut dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc ſi quos forte idoneos inueniſſet) noluit ille; prudenter ſane, quantum ſenſi poſtea. Reſpondit enim me adhuc eſſe indocilē, eo quod inflatus eſſem nouitate hæreſis illius; & nonnullis quæſtiunculis iam multos imperitos exagitaſſem, ſicut illa indicauerat ei. Sed ſine, inquit, illum ibi; & tantum roga pro eo Dominum. Ipſe legendo reperiet, quis ille ſit error, & quāta impietas. Simul etiam narrauit, ſe quoque paruulum à ſeducta matre ſua datum fuiſſe Manichæis, & omnes pene non legiſſe tantum, uerum etiam ſcriptitaſſe libros eorum; ſibique apparuiſſe, nullo contra diſputante, & conuincente, quam eſſet illa ſecta fugienda; itaq. fugiſſe. Quæ cum ille dixiſſet, atque illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret, magis deprecando, & vbertim flendo, vt me videret, & mecū diſſereret, ille iam ſubſtomachans tædio; Vade (inquit) à me, ita uiuas, fieri enim non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat. Quod illa ita ſe accepiſſe inter colloquia ſua mecum ſæpe recordabatur, ac ſi de cælo ſonuiſſet.

Epiſcopi cuiuſdā de Auguſtino reſpōſum.

Ex libro IIII.

PEr idem tempus annorum nouē ab vndeuiceſimo anno cap. 1.

Seducebatur & seducebat. ætatis meæ, vſque ad duodetriceſimum, ſeducebamur, & ſeducebamus, falſi atque fallentes in varijs cupiditatibus; & palam per doctrinas, quas liberales vocant, occulte autem falſo nomine religionis, hic ſuperbi, ibi ſuperſtitioſi; vbiq. vani, & popularis gloriæ ſectantes inanitatem, vſque ad theatricos plauſus, & contentioſa certamina, & agonẽ coronarum fœnearum, & ſpectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum.

cap. 2. Docebam in illis annis artem rhetoricã, & victorioſam loquacitatem victus cupiditate vendebam. Malebam tamen, Domine tu ſcis, bonos habere diſcipulos, ſicut appellantur boni, & eos ſine dolo docebam dolos, nõ in quibus contra caput innocentis agerent, ſed aliquando pro capite nocentis. Et tu, Deus, vidiſti de longinquo lapſantem in lubrico, & in multo fumo ſcintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magiſterio diligentibus vanitatem, & quærentibus mendacium ſocius eorum. In illis annis vnam habebam, non eo quod legitimum vocatur, coniugio cognitam; ſed quam indagauerat vagus ardor, inops prudentiæ: Sed vnam tamen, ei quoque ſeruans thori fidem, in qua ſane experirer exemplo meo, quid diſtaret inter cõiugalis placiti modum, quod fœderatum eſſet generandi gratia, & pactum libidinoſi amoris, vbi proles etiam contra votum naſcitur, quamuis iam nata cogat ſe diligi. Recolo etiam, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuiſſet, mandaſſe mihi neſcio quem aruſpicem, quid ei dare mercedis vellem, vt vincerem; me autem, fœda illa ſacramenta deteſtatum, & abominatum, reſpondiſſe: nec, ſi corona illa eſſet immortaliter aurea, muſcã pro victoria mea necari ſinerem. Necaturus enim erat ille in ſacrificijs ſuis animantia, & illis honoribus inuitaturus mihi ſuffragatura dæmonia videbatur.

Fornicatur cũ vna cui ſine coniugali vinculo fidẽ ſeruat.

Naſcitur ei filius.

Contennit aruſpicem victoriam illi promittentem.

cap. 3. Ideoque illos planetarios, quos mathematicos uocant, plane conſulere non deſiſtebam, quod quaſi nullum eis eſſet ſacrificium, & nullæ preces ad aliquem ſpiritum ob diuinatio-

uinationem dirigerentur; quod tamen Chriſtiana, & uera pietas conſequenter repellit, & damnat. Erat eo tempore uir ſagax, medicinæ artis peritiſſimus, atque in ea nobiliſſimus, qui pro Conſule manu ſua coronam illam agoniſtam impoſuerat non ſano capiti meo, ſed non vt medicus, quia factus ei eram familiarior; & eius ſermonibus (erant enim ſine uerborum cultu, uiuacitate ſentẽtiarum iucundi & graues) aſſiduus, & fixus inhærebam: ubi cognouit ex colloquio meo libris genethliacorum eſſe me deditum, benigne, ac paterne me monuit, ut eos abijcerem, neque curam, & operam rebus utilibus neceſſariam, illi uanitati fruſtra impenderem. A quo ego cum quæſiſſem, qua ex cauſa hoc fieret, ut multa inde uera pronunciarentur: Reſpondit ille, ut potuit, uim ſortis hoc facere, in rerum natura uſquequaque diffuſam. Tunc autem nec ipſe, nec chariſſimus meus Nebridius, adoleſcens ualde bonus, & valde cautus, irridẽs totũ illud diuinationis genus, perſuadere mihi potuerunt; ut hæc abijcerem; quoniam me amplius ipſorum auctorum mouebat auctoritas, & nullum certum, quale quærebam; documentum adhuc inueneram, quo mihi ſine ambiguitate appareret, quæ ab eis conſultis, uera dicerentur, ſorte, non arte inſpectorum ſyderum, dici.

Aſtrologię diuinatricæ deditus reuocatur à Medico ſene, & pito.

Nebridius irridet diuinationẽq; planetariorum.

In illis annis, quo primo tempore in municipio, quo natus ſum, docere cœperam, comparaueram amicum, ſocietate ſtudiorum nimis charum, coæuum mihi, & conflorẽtem flore adoleſcentiæ. Mecum puer creuerat, & pariter in ſcholam ieramus, pariterque luſeramus. Mecum iam errabat in animo homo ille, & non poterat anima mea ſine illo. Et ecce tu imminens dorſo fugitiuorum tuorum, Deus ultionum, & fons miſericordiarum, ſimulque conuertens nos ad te miris modis, ecce abſtuliſti hominem de hac uita, cum uix annum expleuiſſet in amicitia mea, ſuauis mihi ſuper omnes ſuauitates illius uitæ meæ. Cum enim laboraret ille febribus, iacuit diu ſine ſenſu in ſudore lætali. Et cũ deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, me non curante, &

cap. 6. Amici morbum, baptiſmũ, & mortẽ narrar, ſuumque ex illius obitu dolorem grauiſſimum exponit.

Vir neſciẽs baptizatur.

præ-

præſumente id retinere potius animam ei us,quod à me acceperat, non quod in neſcientis corpore fiebat. Longe autē aliter erat. Nam recreatus eſt, & ſaluus factus, ſtatimq́. vt primum cum eo loqui potui, (potui autem mox, vt ille potuit, quoniam non diſcedebam, & nimis pendebamus ex inuicem) tentaui apud illum irridere, tamquam & illo irriſuro mecum, baptiſmum, quem acceperat, mente, atque ſenſu abſentiſſimus; ſed tamen ſe iam accepiſſe didicerat. At ille ita me exhorruit vt inimicum, admonuitque mirabili, & repentina libertate, vt ſi amicus eſſe vellem, talia ſibi dicere deſinerem. Ego autem ſtupefactus, atque turbatus, diſtuli omnes motus meos,vt conualeſcens prius,eſſetque idoneus viribus valetudinis, cum quo agere poſſem, quod uellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, vt apud te ſeruaretur conſolationi meæ, poſt paucos dies,me abſente, repetitur febribus, & defungitur. Quo dolore contenebratum eſt cor meum, Et quicquid aſpiciebam,mors erat.

cap. 7. Fugi de patria (Minus enim eum quærebant oculi mei, vbi videre non ſolebant) atque à Tagaſtenſi oppido, veni Carthaginem.

cap. 13. ſcripſit lib. de pulchro & apto, q non extāt. Scripſi libros de pulchro & apto, puto duos, aut tres: Tu ſcis Deus; Nam excidit mihi. Non enim habemus eos, ſed aberrauerunt à nobis, neſcio quomodo.

cap. 14. Quid eſt, quod me mouit, Domine Deus meus, vt ad Icherium, Romanæ Vrbis oratorem,ſcriberem illos libros, quem non noueram facie; ſed amaueram hominem ex doctrinæ fama,quæ illi clara erat, & quædam verba eius audieram, & placuerant mihi? Et magnum mihi erat, ſi ſermo meus, & ſtudia mea illi innoteſcerent. Quæ ſi probaret, flagrarem magis: ſi autem improbaret, ſauciaretur cor meum, & inane ſoliditatis meæ.

cap. 16. Et quid mihi proderat, quod annos natus ferme viginti, cum in manus meas veniſſent Ariſtotelica quædam,quas appellant decem categorias; quarum nomine, cum eas rhetor Carthaginienſis, magiſter meus, buccis, typho crepātibus,

tibus, commemoraret; & alij, qui docti habebantur; tamquam in neſcio quid magnum, & diuinum ſuſpenſus inhiabam? Legi eas ſolus, & intellexi. Quas cum contuliſſem cum eis, qui ſe dicebant, vix eas magiſtris eruditiſſimis nō loquentibus tantum, ſed multa in puluere depingentibus, intellexiſſe; nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quam ego ſolus, apud me ipſum legens cognoueram. Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequiſſimus malarū cupiditatum ſeruus, per me ipſum legi, & intellexi quoſcumque legere potui; & gaudebam in eis, & neſciebam, vnde eſſet, quicquid ibi verum, & certum eſſet? Quidquid de arte loquendi, & diſſerendi; quicquid de dimenſionibus figurarum, & de muſicis, & de numeris, ſine magna difficultate, nullo hominum tradente, intellexi: ſcis tu Domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & dicendi acumen donum tuum eſt. Sed non inde ſacrificabam tibi. Itaque mihi, non ad vſum, ſed ad perniciem magis valebat. Nam quid mihi proderat bona res, non vtenti bene?

Ariſtot. categorias p ſe intellexit.

Libros artium liberalium, & alios quot legit nullo hoīum tradente intellexit.

Ex Libro V.

PRoloquar in conſpectu Dei mei annum illum vndetriceſimum ætatis meæ. Iam venerat Carthaginem quidam Manichæorum Epiſcopus, Fauſtus nomine, magnus laqueus diaboli; & multi implicabantur in eo per illecebrā ſuauiloquentiæ; quam ego tametſi laudabam, diſcernebā tamen à veritate rerum, quarum diſcendarum auidus erā; nec quali vaſculo ſermonis, ſed quid mihi ſcientiæ comedendum apponeret nominatus apud eos ille Fauſtus intuebar. Fama enim de illo prælocuta mihi erat, quod eſſet honeſtarum omnium doctrinarum peririſſimus & apprime diſciplinis liberalibus eruditus.

cap. 3. Anno vigeſimo nono ætatis ſuę conuenit Carthagine Fauſtū Manichęū diu expectatum.

Et per annos ferme ipſos nouem, quibus eos animo vagabundus audiui, nimis extento deſiderio venturum expe- cap. 6.

ctabam

ſtabam illum Fauſtum. Ceteri enim eorum in quos forte incurriſſem, qui quæſtionibus à me obiectis deficiebant, illum mihi promittebant, cuius aduentu, collatoque colloquio, facillime mihi hæc, & ſi qua forte maiora quærerem, enodatiſſime expedirentur. Ergo vbi venit, expertus ſum hominem, gratum, & iucundum verbis, & ea ipſa, quæ illi ſolent dicere, multo ſuauius garrientem. Sed quid ad meam ſitim pretioſorum poculorum decentiſſimus miniſtrator?

cap. 7. Fauſto nõ reſpondẽte expectationi de illo ad prędicationẽ Manichęorũ cõceptę, alienatur Auguſt. ab illa ſecta.

Poſtea quam ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere putaueram, ſatis apparuit, deſperare cœpi, poſſe eum mihi illa, quæ me mouebant, aperire, atque diſſoluere. Refracto itaque ſtudio, quo intenderam in Manichæi litteras; magiſque deſperans de ceteris eorum doctoribus, quando in multis, quæ me mouebant, ita ille nominatus apparuit; omnis conatus meus, quo proficere in illa ſecta ſtatueram, illo homine cognito prorſus intercidit.

cap. 8. Romam ꝓficiſcitur, cõtra m̃ris voluntatẽ.

Egiſti ergo mecum, vt mihi perſuaderetur Romam pergere, & potius ibi docere, quod docebam Carthagine. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu ſciebas Deus, nec indicabas mihi, nec matri, quæ me profectum atrociter plãxit, & vſque ad mare ſecuta eſt. Sed fefelli eam, violenter me tenentem, vt aut reuocaret, aut mecum pergeret, & finxi me amicum nolle deſerere, donec vento facto nauigaret. Et mentitus ſum matri, & illi matri, & euaſi. Sed ea nocte clanculum ego profectus ſum; illa autem remanſit orando, & flendo, & poſt accuſationem fallaciarum, & crudelitatis meæ, conuerſa rurſus ad deprecandum te pro me, abijt ad ſolita, & ego Romam.

cap. 9. Febri periculoſe laborat.

Et ecce excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, & ibam iam ad inferos, portans omnia mala, quæ commiſeram, & in te, & in me, & in alios, multa & grauia, ſuper originalis peccati vinculum, quo omnes in Adã morimur.

cap. 10. Conualeſcit ab ęgritudine.

Recreaſti uero me ab illa ægritudine, & ſaluum feciſti filium ancillæ tuæ, tunc interim corpore, vt eſſet cui ſalutem

tem meliorem, atque certiorem dares. Et iungebar etiam tunc Romæ falſis illis, atque fallentibus ſanctis; non enim tantum auditoribus eorum, quorum è numero erat etiam is, in cuius domo ægrotaueram, & conualueram; ſed eis etiam, quos Electos vocant. Suborta eſt etiam mihi cogitatio, prudentiores ceteris fuiſſe illos philoſophos, quos Academicos appellant, quod de ominibus dubitandum eſſe cenſuerant, nec aliquid veri ab homine comprehendi poſſe decreuerant. Nec diſſimulaui eundem hoſpitem meum reprimere à nimia fiducia, quam ſenſi eum habere de rebus fabuloſis, quibus Manichæi libri pleni ſunt. Amicitia tamen eorum familiarius vtebar, quàm ceterorum, qui in ea hæreſi non fuiſſent. Nec eam defendebam priſtina animoſitate.

Prudentiores ceteris ſibi videtur Academici philoſophi.

Deinde, quæ illi in ſcripturis tuis reprehenderant, defendi poſſe non exiſtimabam; ſed aliquando ſane cupiebam cum aliquo illorum librorum doctiſſimo conferre ſingula, & experiri, quid inde ſentiret. Iam enim Helpidij cuiuſdam, aduerſus eoſdem Manichæos coram loquentis, & differentis ſermones, etiam apud Carthaginem, mouere me cœpe rant; cum talia de ſcripturis proferret, quibus reſiſti facile non poſſet, & imbecilla mihi reſponſio videbatur iſtorum.

cap. 11. Qualiter Aug. contulerit cũ catholicis.

Sedulo ergo agere cœperam propter quod veneram, vt docerem Romæ artem rhetoricam, & prius domi congregare aliquos, quibus, & per quos innoteſcere cœperam, & ecce, cognoſco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam re vera illas euerſiones à perditis adoleſcentibus ibi non fieri manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubito (inquiunt) ne mercedem magiſtro reddant, conſpirant multi ado leſcentes, & transferunt ſe ad alios, deſertores fidei; & quibus præ pecuniæ caritate iuſtitia vilis eſt. Oderat etiam iſtos cor meum, quamuis non perfecto odio.

cap. 12. Rhetoricam artem docet Romę & ſcholarium Romanorũ in pręceptores fraus ei innoteſcit.

Itaque poſtquam miſſum eſt à Mediolano Romã ad Præfectum Vrbis, vt illi Ciuitati rhetoricæ magiſter prouideretur, impertita etiam euectione publica; ego ipſe ambiui p

cap. 13. Mediolanum pergit docturus rhetoricam.

eos ipſos Manichæis vanitatibus ebrios, quibus vt carerē ibam; ſed vtrique neſciebamus, vt dictione propoſita me probatum Præfectus Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambroſium Epiſcopum, in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cuius tunc eloquia ſtrenue miniſtrabant adipem frumenti tui, & lætitiam olei, & ſobriā vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te neſciens, vt per eum ad te ſciens ducerer. Suſcepit me paterne ille homo Dei, & peregrinationem meam ſatis epiſcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabā; ſed tanquam hominem benignum in me. Et ſtudioſe audiebam diſputantem in populo, non intentione, qua debui, ſed quaſi explorans eius facundiam, vtrum conueniret famæ ſuæ, an maior, minorue proflueret, quàm prædicabatur: & verbis eius ſuſpendebar intentus; rerum autē incurioſus, & contemptor, aſtabam: & delectabar ſuauitate ſermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilareſcentis, atque mulcientis, quàm Fauſti oratio, quod attinet ad modum dicendi. Ceterùm rerum ipſarum nulla comparatio. Nam ille per Manichæas fallacias aberrabat; iſte autem ſaluberrime docebat ſalutem. Sed longe eſt à peccatoribus ſalus, qualis ego tunc aderam; & tamen propinquabam ſenſim, & neſciui. Cum enim non ſatagerem diſcere, quæ dicebat, ſed tantum quemadmodum dicebat ea audire; veniebant in animum meum ſimul cum verbis, quæ diligebam, res etiam, quas negligebam: neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum quàm diſerte diceret, pariter intrabat, quàm vere diceret; gradatim quidem. Nam primo etiam ipſa defendi poſſe mihi iam cœperant videri; & fidem catholicam, pro qua nihil poſſe dici aduerſus oppugnantes Manichæos putaueram, iam non impudenter aſſeri exiſtimabam; maxime audito vno, atque altero, & ſæpius ænigmate ſoluto, de ſcripturis veteribus; vbi cum ad litteram acciperem, occidebar

Ab Ambroſio paterne ſuſcipitur.

Ambroſiū audit.

pſal. 118.

Audiens Ambroſium paulatī ab errore reſipiſcit.

2. Cor. 13.

ſpiritua-

ſpiritualiter. Nec tamen ideo mihi catholicam viam tenendam eſſe ſentiebam. Ita enim nō mihi victa videbatur, vt nondum etiam victrix appareret. Manichæos quidem relinquendos eſſe decreui, non arbitrans eo ipſo tempore dubitationis meæ, in illa ſecta mihi permanendum eſſe, cui iam nonnullos philoſophos præponebā; quibus tamen philoſophis, quod ſine nomine ſalutaris Chriſti eſſent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recuſabā ſtatui ergo tandiu eſſe catechumenus in catholica Eccleſia à parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quò curſum dirigerem.

Philoſophis non ſe credit, eo quod eſſet ſine nomine ſalutaris Chriſti.

Ex Libro VI.

IAm venerat ad me mater, pietate fortis, terra marique me ſequens, & in periculis omnibus ad te ſecura, & inuenit me periclitantem quidem grauiter, deſperatione indagandæ veritatis; ſed tamen ei cum indicaſſem, non me quidem iam eſſe Manichæum, ſed neque catholicum Chriſtianum, non, quaſi inopinatum aliquid audierit, exiliuit lætitia, cum iam ſecura fieret ex ea parte miſeriæ meæ, in qua me tamquam mortuum, ſed reſuſcitandum tibi flebat, & feretro cogitationis efferebat, vt diceres filio Viduæ: Iuuenis, tibi dico, ſurge: & reuiuiſceret, & inciperet loqui, & redderes illum matri ſuæ.

cap. 1.

Mater venit Mediolanū et inuenit Aug. neque Manichęum, neque catholicum

Luc. 7.

Nec iam ingemiſcebam orando, vt ſubuenires mihi, ſed ad quærendum intentus, & ad diſſerendum inquietus erat animus meus; ipſumque Ambroſium felicem quendam hominem ſecundum ſeculum opinabar, quem ſic tantæ poteſtates honorent; cælibatus tantum eius mihi laborioſus videbatur. Sæpe cum adeſſemus, (non enim vetabatur quēquam ingredi, aut ei venientem nunciari mos erat) ſic eum legentem vidimus tacite, & aliter numquam; ſedenteſq. in diuturno ſilentio, (quis enim tam intento eſſe oneri auderet?) diſcedebamus, & coniectabamus, eum paruo illo tē-

cap. 3.

Occupationes atque ſtudia Ambroſij.

Cuilibet aditus patebat ad Ambroſium etiam nemine illi nunciante venientem.

 pore,

pore, quod reparandæ menti ſuæ nanciſcebatur feriatum ab ſtrepitu cauſarum alienarum, nolle in aliud auocari, & cauere fortaſſe ne auditore ſuſpenſo, & intento, ſi qua obſcurius poſuiſſet ille, quem legeret, etiam exponere neceſſe eſſet, aut de aliquibus difficilioribus diſceptare quæſtionibus, atque huic operi temporibus impẽſis, minus quàm vellet voluminum euolueret. Quamquam et cauſa ſeruandæ vocis, quæ illi facillime obtundebatur, poterat eſſe iuſtior tacite loquendi. Quolibet tamen animo id ageret, bono vtique ille vir agebat. Sed certe mihi, nulla dabatur copia ſciſcitãdi, quæ cupiebam, de tam ſancto oraculo tuo, pectore illius, niſi cum aliquid breuiter eſſet audiendum. Aeſtus autem illi mei otioſum eum valde, cui effunderentur, requirebant, nec vmquam inueniebant. Et eum quidem, in populo verbum veritatis recte tractantem, omni die Dominico audiebam, & magis, magiſque mihi confirmabatur, omnes verſutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores noſtri aduerſus diuinos libros innectebant, poſſe diſſolui.

Vox facilli me obtum debaẽ Ambroſio.

cap. 6. Inhiabam honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas. Patiebar in ijs cupiditatibus amariſſimas difficultates.

cap. 7. Congemiſcebamus in ijs, qui ſimul amice uiuebamus, & maxime ac familiariſſime cum Alipio, & Nebridio iſta colloquebar: quorum Alipius ex eodem, quo ego ortus eram, municipio, parentibus primatibus municipalibus, me minor natu. Nam & ſtuduerat apud me, cum in noſtro docere cœpi oppido, & poſteà Carthagini; & diligebat me multum, quod ei bonus, & doctus viderer; & ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ in non magna ætate ſatis eminebat. Gurges tamẽ morũ Carthaginienſium, quibus nugatoria feruent ſpectacula, abſorbuerat eum inſania Circenſium. Quodam die cum ſederem loco ſolito, & corã me adeſſent diſcipuli, venit, ſalutauit, ſedit, atque in ea, quæ agebantur animum intendit: & forte lectio in manibus erat, quam dum exponerem, & opportune mihi videretur

Alipius ex eodem municipio, quo Auguſtinus nat⁹.

Alipium à Circẽſium inſania cõuertit, Auguſtinũ audiẽs ĩ ſchola diſcipulos docentem.

retur adhibenda ſimilitudo Circenſium, quo illud, quod inſinuabam, & iucundius, & planius fieret, cum irriſione mordaci eorum, quos illa captiuaſſet inſania. (tu ſcis, Deus noſter, quod tunc de Alipio ab illa peſte ſanando non cogitauerim.) At ille in ſe rapuit, meq́. illud non niſi propter ſe dixiſſe credidit. Et qđ alius acciperet ad ſuccenſendũ mihi accepit honeſtus adoleſcẽs ad ſuccẽſendù ſibi, & ad me ardentius diligendũ. Et excuſſit animum forti temperantia, & reſiluerunt omnes Circenſium ſordes ab eo, ampliusq́. illuc non acceſſit. Et audire me rurſus incipiens, illa mecum ſuperſtitione inuolutus eſt, amans in Manichæis oſtentationem continentiæ, quam veram, & germanam putabat. Erat autem illa vecors, & ſeductoria, precioſas animas captiuans, nõdum virtutis altitudinem ſcientes tangere, & ſuperficie decipi faciles, ſed tamen adumbratæ, ſimulatæq́. virtutis.

Hunc ergo Romæ inueneram, & adhæſit mihi fortiſſimo vinculo, mecumque Mediolanum profectus eſt, vt nec me desereret, & de iure, quod didicerat, aliquid ageret, ſecundum votum parentum magis quàm ſuum. Nebridius etiam, qui relicta patria, vicina Carthagini, atque ipſa Carthagine, vbi frequentiſſimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo, & non ſecutura matre, nullam ob aliam cauſam Mediolanum venerat, niſi vt mecum viueret; in flagrãtiſſimo ſtudio veritatis atque ſapientiæ pariter ſuſpirabat, pariterq́. fluctuabat, beatæ vitæ inquiſitor ardens, & quæſtionum difficillimarum inquiſitor acerrimus.

cap. 10 Alipius Roma Mediolanum cũ Auguſtino profectus. Nebridi' relicta patria Carthagine Mediolanum venerat, vt cũ Auguſt. viueret.

Et ego maxime minabar ſatagens, & recolens, quam longum tempus eſſet, ab vndeuiceſimo anno ætatis meæ, quo feruere cœperam ſtudio ſapientiæ, diſponens, ea inuẽta, relinquere omnes vanarum cupiditatum ſpecies inanes, & inſanias mendaces. Et ecce iam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæſitans, auiditate fruendi præſentibus fugientibus, & diſſipantibus me, dum dico: Cras inueniam: ecce manifeſtum apparebit, & tenebo: Et ecce Fa-

cap. 2. Deliberat Aug. de inſtituẽda vita. Triginta ãnos agit.

uſtus

uſtus veniet, & exponet omnia. O magni viri Academici, nihil ad agendam vitam certi comprehendi poteſt? Immo quæramus diligentius, & expectemus, vt & non deſperemus. Ecce, iam non ſunt abſurda in libris Eccleſiaſticis, quæ abſurda videbantur, & poſſunt aliter, atque honeſte intelligi. Figam pedes meos in eo gradu, in quo puer à parentibus poſitus eram, donec inueniatur perſpicua veritas? Sed vbi quæretur? quando quæretur? Non vacat Ambroſio; Nō vacat legere. Vbi ipſos codices quærimus? Vnde, aut quādo comparamus, à quibus ſumemus? Deputentur tempora, diſtribuantur horæ pro ſalute animæ. Magna ſpes oborta eſt: Non docet catholica fides, quod putabamus, & vani accuſabamus. Nefas habent docti eius credere Deum figura humani corporis terminatum; & dubitamus pulſare, quo aperientur cetera? Pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana, & inania; conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta. Si ſubito obrepat, quomodo exibimus? Et vbi nobis diſcenda ſunt, quæ hic neglexim⁹? Quid cunctamur igitur, relicta ſpe ſeculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Cum hæc dicebam, & alternabant hi venti, & impellebāt huc, atque illuc cor meum, Tranſibant tempora, & tardabam comuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem viuere in te, & non differebā quotidie in memetipſo mori, amans beatam vitam, timebam illam in ſede ſua, & ab ea fugiens, quærebam eam.

cap. 12. Alipius caſtiſſim⁹ diſſuadet Auguſtino rē vxoriam.

Prohibebat me ſane Alipius ab vxore ducenda, cantans, nullo modo nos poſſe ſecuro otio ſimul in amore ſapientiæ viuere, ſicut iam diu deſideraremus, ſi id feciſſem. Erat enim ipſe in ea re caſtiſſimus ita vt mirum eſſet.

cap. 13. Præparabatur vxor, Auguſt.

Et inſtabatur impigre, vt ducerem vxorem. Cuius ætas ferme biennio minor, quàm nubilis erat, & quia ea placebat, expectabatur.

cap. 14. De cōmuni vita ducēda inter decem homines pene firmat.

Et multi amici agitaueramus animo, & colloquentes, ac deteſtantes turbulentas humanæ vitæ moleſtias, pene iam firma-

firmaueramus remoti à turbis otioſi viuere: id otium ſic moliti, vt, ſi quid habere poſſemus, conferremus in medium; vnamque rem familiarem conflaremus ex omnibus, vt per amicitiæ ſynceritatem non eſſet aliquid huius,& aliud illius; ſed quod ex cunctis fieret vnum, & vniuerſum ſingulorum eſſet, & omnia omniũ: cum videremur nobis eſſe poſſe decem ferme homines in eadem ſocietate, eſſentque inter nos prædiuites, Romanianus maxime communiceps noſter, quem tunc graues æſtus negotiorum ſuorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi familiariſſimus qui maxime inſtabat huic rei, & magnam in ſuadendo habebat auctoritatem, quod ampla res ei multum ceteris anteibat; & placuerat nobis, vt bini annui, tamquam Magiſtratus, omnia neceſſaria curarent, ceteris quietis. Sed poſteaquam cœpi cogitare, vtrum hoc mulierculæ ſinerent, quas & alij noſtrum iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud placitum, quod bene firmabamus, diſſiluit in manibus, atque confractum eſt. Inde ad ſuſpiria,& gemitus conuertebamur.

Romanianus cõmuniceps Auguſtini prę diues iſtat pro amplectenda cõmuni vita.

Placitum de vita cõmuni diſſ. luit ꝑpter vxores.

Interea peccata mea multiplicabantur, & auulſa à latere meo, tamquam impedimento coniugij,cum qua cubare ſolitus eram, cor, vbi adhærebat, conciſum, & vulneratum mihi erat, & trahebat ſanguinem. Et illa in Africam redierat, vouens tibi, alium ſe virum neſcituram, relicto apud me naturali ex illa filio meo. At ego infelix, nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tamquam poſt biennium accepturus eam, quam petebam, quia non amator coniugij, ſed libidinis ſeruus eram, procuraui aliam, non vtique coniugem, qua tamquam ſuſtentaretur, & perduceretur vel integer, vel auctior morbus animæ meæ.

cap. 15.

Ex Libro VII.

cap. 1.

In iuuentutẽ ibat Auguſtinus.

IAm mortua erat adoleſcentia mea mala, & nefanda, & ibam in iuuentutem, quanto ætate maior, tanto vanitate

nitate turpior, qui cogitare aliquid ſubſtantiæ, niſi tale nō poteram, quod per hos oculos videri ſolet.

cap. 6. Mathematicorum diuinationes reijcit Auguſt. Vindiciano, & Nebridio illam vanitatem atteſtantibus.

Iam etiam mathematicorum fallaces diuinationes, & impia deliramenta reieceram. Tu procuraſti peruicaciæ meæ, qua obluctatus ſum Vindiciano acuto ſeni, & Nebridio adoleſcenti mirabilis animæ, illi vehementer affirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua, ſed tamen crebro dicenti; non eſſe illam artem, futura præuidendi: coniecturas autem hominum, habere ſæpe vim ſortis.

cap. 7.

Iam itaque me adiutor meus illis vinculis ſolueras, & quærebam vnde malum, & non erat exitus.

cap. 9. In libris Platonicorū inuenit quædā conſētanea doctrinę chriſtianę.

Et primo volens oſtendere mihi quàm reſiſtas ſuperbis, humilibus autem des gratiam; procuraſti mihi per quendam hominem immaniſſimo typho turgidum, quoſdā Platonicos libros, ex græca lingua in latinum verſos. Et ibi legi, non quidem his verbis; ſed hoc idem omnino, multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus: quod, In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbū.

cap. 10. Clarius innoteſcunt Auguſt. diuina.

Et inde admonitus redire ad me metipſum, intraui in intima mea, duce te, & potui, quoniam factus es adiutor meus. Intraui, & vidi, qualicunque oculo animæ meæ, ſupra eundem oculum animæ meæ, ſupra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem & conſpicuam omni carni, nec quaſi ex eodem genere. Grandior erat, tamquam ſi iſta multo, multoq. clarius clareſceret, totumque occuparet magnitudine. Et reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore, & horrore, & inueni longe me eſſe à te in regione diſſimilitudinis, tamquam audirem vocem tuam de excelſo: Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Et cognoui, quoniam pro iniquitate erudiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meā.

pſal. 38.

cap. 16.

Et ſenſi, & expertus ſum, non eſſe mirum, quòd palato nō ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuauis eſt: & oculis ægris

odioſa

odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.

Tantum ſentiebam de domino Chriſto, quantum de excellentis ſapientiæ viro, cui nullus poſſet æquari. Quid autem ſacramenti haberet, Verbum caro factum eſt, ne ſuſpicari quidem poteram. cap. 19. Ioan. 1.

Garriebam plane quaſi peritus, & niſi in Chriſto ſaluatore noſtro viam tuam quærerem non peritus, ſed periturus eſſem. Iam enim cœperam velle videri ſapiens, plenus pœna mea, & non flebam: inſuper inflabar ſcientia. Vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis quod eſt Chriſtus Ieſus? cap. 20.

Itaque auidiſſime arripui Venerabilẽ ſtylum ſpiritus tui, & præ ceteris Apoſtolum Paulum, & perierunt illæ quæſtiones, in quibus mihi aliquando viſus eſt aduerſari ſibi, & non congruere teſtimonijs legis, & prophetarum, textus ſermonis eius. Et apparuit mihi vna facies eloquiorum caſtorum, & exultare cum tremore didici. cap. 21. Legit apoſtolum Paulũ

Ex Libro VIII.

INhæſerant præcordijs membra tua, & vndique circunuallabar abs te. De vita tua æterna certus eram, quamuis eam in ænigmate, & per ſpeculũ videram. Dubitatio tamen omnis de incorruptibili ſubſtantia, quod ab illa eſſet omnis ſubſtantia, ablata mihi erat: nec certior de te, ſed ſtabilior eſſe cupiebam. De mea vero temporali vita nutabant omnia, & mundandum erat cor à fermento veteri, & placebat via ipſe Saluator; & ire per eius anguſtias adhuc pigebat. Et immiſiſti in mentẽ meam, viſumq; eſt bonum in conſpectu meo pergere ad Simplicianum, qui mihi bonus apparebat ſeruus tuus, & lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam, quod à iuuentute ſua deuotiſſime tibi viueret. Iam vero tũc ſenuerat, & longa ætate in tam bono ſtudio ſectandæ vitæ tuæ multa expertus, multa edoctus mihi videbatur, & vere ſic erat. Vnde mihi vt proferret volebam, conferenti ſecũ cap. 1. Amore diuinorũ accenſus ad Simplicianum ire ſtatuit.

æſtus meos, quis eſſet aptus modus, ſic affecto, vt ego erã, ad ambulandum in via tua. Videbam enim plenam Eccleſiam tuam; & alius ſic ibat, alius autem ſic. Mihi autem diſplicebat, quod agebam in ſæculo, & oneri mihi erat valde; non iam inflammantibus cupiditatibus, vt ſolebant, ſpe honoris, & pecuniæ ad tolerandam illam ſeruitutem tam grauem. Iam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua,

psal. 25. & decore domus tuæ, quam dilexi; ſed adhuc tenaciter colligabar ex femina. Nec me prohibebat Apoſtolus coniugari,

1. cor. 7. quamuis exhortaretur ad melius, maxime volens omnes homines ſic eſſe, ut ipſe erat; ſed ego infirmior eligebã molliorem locum.

cap. 2. Perrexi ergo ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua Epſcopi Ambroſij, & quem vere vt patrem diligebat. Narraui ei circuitus erroris mei. Vbi autem commemoraui, legiſſe me quoſdam libros Platonicorum, quos Victorinus, quendam Rhetor Vrbis Romæ, quem Chriſtianum defunctum eſſe audieram, in latinam linguam tranſtuliſſet, gratulatus eſt mihi, quod non in aliorum philoſophorum ſcripta incidiſſem. Deinde, vt me exhortaretur ad humilitatem Chriſti ſapientibus abſconditam, & reuelatã paruulis, Victorinum ipſum recordatus eſt, quem Romæ cum eſſet, familiariſſime nouerat, deq. illo mihi narrauit, quod non ſilebo. Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ, confitendam tibi, quemadmodum ille doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus quique philoſophorum tam multa legerat, & dijudicauerat, & dilucidauerat doctor tot nobilium Senatorum; qui etiam ob inſigne præclari magiſterij, quod ciues huius mundi eximium putant, ſtatuam Romano foro meruerat, & acceperat, vſq. ad illam ætatem venerator idolorum, ſacrorumq. ſacrilegiorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata ſpirabat, populos iam, & omnigenum deum monſtra, & Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum, & Venerem, contraq. Mineruam tela tenuerant, & à

Vadit ad Simplicianũ, & audit ab eo conuerſionem Victorini magni Rhetoris.

Mat. 11.

Laudat Victorinus.

ſe uictis

ſe victis iam Roma ſupplicabat; quæ iſte ſenex Victorinus tot annos ore terricrepo defenſitauerat, non erubuerit eſſe puer Chriſti tui, & infans fontis tui, ſubiecto collo ad humilitatis iugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium. Pſal.103.
O domine, domine, qui inclinaſti cælos, & deſcendiſti, tetigiſti montes, & fumigauerunt, quibus modis inſinuaſti te illi pectori? Legebat, ſicut ait Simplicianus, ſanctam ſcripturam, omnesq. Chriſtianas litteras inueſtigabat ſtudioſiſſime, & perſcrutabatur, & dicebat Simpliciano, non palam, ſed ſecretius, & familiarius: Noueris, me iam eſſe Chriſtianum. Et reſpondebat ille: Non credam, nec deputabo te inter Chriſtianos, niſi in Eccleſia Chriſti te videro. Ille autem irridebat eum dicens: Ergò ne parietes faciunt Chriſtianos? Et hoc ſæpe dicebat, iam ſe eſſe Chriſtianũ: & Simplicianus illud ſæpe reſpondebat, & ſæpe ab illo parietum irriſio repetebatur. Amicos enim ſuos verebatur offendere, ſuperbos dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quaſi ex cedris libani, quas nondum cõtriuerat dominus, grauiter ruituras in ſe inimicitias arbitrabatur. Sed poſtquam legendo, & inhiando auxit firmitatem, timuitq. negari à Chriſto coram Angelis ſanctis ſi Mat.10. cum timeret coram hominibus confiteri, reusq. ſibi magni criminis apparuit, erubeſcendo de ſacramentis humilitatis verbi tui, & non erubeſcendo de ſacris ſacrilegijs ſuperborum dæmoniorum, quæ imitator ſuperbus acceperat; depuduit vanitati, & erubuit veritati; ſubitoq. & inopinatus ait Simpliciano, vt ipſe narrabat; Eamus in Eccleſiam, Chriſtianus volo fieri. At ille, non capiens ſe lætitia, perrexit cum eo. Vbi autem imbutus eſt primis inſtructionum ſacramentis, non multo poſt etiam nomen dedit, vt per baptiſmum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Eccleſia. Superbi videbant, & iraſcebantur, dentibus ſuis ſtridebãt, Pſal.111. & tabeſcebant: ſeruo autem tuo dominus Deus erat ſpes Pſal.39. eius, & non reſpiciebat in vanitates, & inſanias mendaces. Denique vt ventum eſt ad horam profitendæ fidei; quæ ver

bis certis conceptis, retentisq. memoriter de loco eminen-
Mos Rom. Eccl. tiore in conſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet ab eis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam, oblatum eſſe dicebat Victorino à presbyteris vt ſecretius redderet, ſicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur offerri mos erat: illũ autẽ maluiſſe ſalutẽ ſuã in conſpectu ſanctæ multitudinis profiteri. Non enĩ erat ſalus, quã docebat in rhetorica, & tamen eã publice profeſſus erat. Quanto minus ergo vereri debuit manſuetum gregem tuum, pronuncians verbum tuum, qui non verebatur in verbis ſuis turbas inſanorum? Itaque vbi aſcendit, vt redderet, omnes ſibimet inuicem, quiſque vt eum nouerat, inſtrepuerunt nomen eius ſtrepitu congratulationis. Quis autem ibi non eum nouerat? Et ſonuit preſſo ſonitu per ora cunctorum collætantium: Victorinus, Victorinus. Cito ſonuerunt exultatione quia videbant eum, & cito ſiluerunt intentione, vt audirent eum. Pronunciauit ille fidem veracem præclara fiducia, & volebant omnes rapere intro in cor ſuum, & rapiebant amando, & gaudendo.

cap. 5 Quę remorabantur Auguſtinũ à conuerſione cap. 10

Vbi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino iſta narrauit, exarſi ad imitandum: ad hoc enim & illa narrauerat. Poſteaquam vero, & illud addidit, quod Imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti ſunt Chriſtiani docere litteraturam, & Oratoriam, quam legem ille amplexus, loquacem ſcholam deſerere maluit, quàm verbum tuum, quo linguas infantiũ facis diſertas, non mihi fortior quàm felicior viſus eſt, qui inuenit occaſionem vacandi tibi. Cui rei ego ſuſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate.

cap. 6 Quomodo Deus exemerit eum à vinculo deſiderij concubit⁹ referente S. Potitiano S. Antonij vitam.

Et de vinculo quidem deſiderij concubitus, quo arctiſſime tenebar, & ſæcularium negotiorum ſeruitute quemadmodum me exemeris narrabo, & confitebor nomini tuo, Domine adiutor meus, & redemptor meus. Agebam ſolita creſcente anxietudine, & quotidie ſuſpirabam tibi. Frequentabam Eccleſiam tuam, quantum vacabat ab eis nego-

tijs,

tijs, ſub quorum pondere gemebam. Mecum erat Alipius, ocioſus ab opere Iuriſperitorum poſt aſſeſſionem tertiam, expectans quibus iterum conſilia venderet, ſicut ego vendebam dicendi facultatem, ſi qua docendo præſtari poteſt. Quadam igitur die, non recolo cauſam, qua erat abſens Nebridius, cum ad nos domum venit, & ad me, & Alipium Potitianus quidam ciuis noſter, in quantum Afer, præclare in Palatio militans, neſcio quid à nobis volebat. Et conſedimus, vt colloqueremur, & forte ſupra menſam luſoriam, quæ ante nos erat, attendit codicem; tulit, aperuit, inuenit Apoſtolum Paulum, inopinate ſane. putauerat enim aliquid de libris, quorũ profeſſio me conterebat. Tum vero arridens, meq. intuens, gratulatorie miratus eſt, quod eas, & ſolas præ oculis meis litteras repente comperiſſet. Chriſtianus quippe, & fidelis erat, & ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſia crebris, & diuturnis orationibus. Cui ego cum indicaſſem, illis me ſcripturis curam maximam impendere, ortus eſt ſermo, ipſo narrante, de Antonio Aegyptio monacho; cuius nomen excellenter clarebat apud ſeruos tuos, nos autem vſque ad illam horam latebat. Quod ille vbi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem noſtram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & prope noſtris temporibus, teſtatiſſima mirabilia tua in fide recta, & catholica Eccleſia. Omnes mirabamur, & nos, quia tam magna erant, & ille, quia inaudita nobis erant. Inde ſermo eius deuolutus eſt ad Monaſteriorum greges, & mores ſuaue olentiæ tuæ & vbera deſerta eremi, quorum nos nihil ſciebamus. Et erat Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore, & non noueramus. Pertendebat ille, & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus. Vnde incidit, vt diceret, neſcio quando ſe, & tres alios cõtubernales ſuos, nimirum apud Treuiros, cum Imperator, pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiſſe deambulatum

Monaſterium fratrum extra vrbis mœnia.

ambulatum in hortos muris contiguos, atque illic, vt forte combinati ſpatiabantur, vnum ſecũ ſeorſum, & alios duos itidem ſeorſum, pariterque digreſſos: ſed illos vagabundos irruiſſe in quandam domum, vbi habitabant quidam ſerui
Mat. 5 tui, ſpiritu pauperes, qualium eſt regnum cælorum, & inueniſſe ibi codicem, in quo ſcripta erat vita Antonij. Quã legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia ſæculari ſeruire tibi. Erant autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc ſubito repletus amore ſancto & ſobrio pudore, iratus ſibi coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæſo te, omnibus iſtis laborib⁹ noſtris quo ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei cauſa militamus? Maior ne eſſe poterit ſpes noſtra in Palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur ĩtus, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namq. dum legit, & voluit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando, & diſcreuit, decreuitque meliora. Iam, iamque tuus, ait amico ſuo: Ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit, illi adhærere ſe ſocio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia, & ſequendi te. Tum Potitianus, & qui cũ eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos, deuenerunt in eundem locum, & inuenientes admonuerunt, vt redirent, quoniam declinaſſet dies. At illi narrato placito, & propoſito ſuo, quoq. modo in eis talis voluntas orta eſſet, atque firmata, petiuerunt, ne ſibi moleſti eſſent, ſi adiungi recuſarent. Iſti autem nihilo mutati à priſtinis, fleuerunt ſe tamen, vt dicebat, atque illis pie congratulati

Subita conuerſio duorum Curialium ex lectione vitæ S. Antonij.

ſunt,

ſunt, & commendauerunt ſe orationibus eorum,& trahentes cor in terra abierunt in palatium; illi autem affigentes cor cælo, manſerunt in caſa. Et ambo habebant ſponſas. Quæ poſteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipſæ virginitatem tibi. Narrabat hæc Potitianus.

Terminato autem ſermone, & cauſa, qua venerat,abijt ille.Et ego ad me,quæ non in me dixi?Quibus ſentẽtiarum verberibus non flagellaui animam meam,vt ſequeretur me conantem poſt te ire? Et renitebatur, recuſabat, & non ſe excuſabat. Conſumpta erant & iam conuicta argumenta omnia,remanſerat muta trepidatio,& quaſi mortem reformidabat, reſtringi à fluxu conſuetudinis quo tabeſcebat in mortem. cap.7 Quę cõmotio in Auguſtino audito Potitiano.

Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quã forti ter excitaueram cum anima mea,in cubiculo noſtro,corde tam vultu,quàm mente turbatus inuado Alipium,& exclamo; Quid patimur?Quid eſt,quod audiſti?Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde ecce vbi volutamur in carne, & ſanguine?An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi? Dixi neſcio quæ talia, & abripuit me ab illo æſtus meus, cum taceret attonitus intuens me. Neque enim ſolita ſonabam, pluſque alloquebantur animum meum frons, genæ, oculi, color, modus vocis,quàm verba quæ promebam.Hortulus quidã erat hoſpitij noſtri, quo nos vtebamur, ſicut tota domo. Nam hoſpes ibi nõ habitabat dominus domus.Illuc me abſtulerat tumultus pectoris, vbi nemo impediret ardẽtem litem, quam mecum aggreſſus eram, donec exiret quà tu ſciebas. Ego autem non ſciebam, ſed tantũ inſaniebam ſalubriter, & moriebar vitaliter; ignarus quid mali eſſem,& ignarus quid boni poſt paululum futurus eſſem. Abſceſſi ego in hortum,& Alipius pedem poſt pedem. Neque enim ſecretum meum non erat vbi ille aderat. Aut quando me ſic affectum deſereret? ſedimus quantum potuimus remoti ab ædibus. Ego fremebã ſpiritu indignans turbulentiſſima cap.8. Aſcendit ĩ hortum ſequente Alipio.

indigna-

indignatione, quod non irem in placitum, & pactum tecum Deus meus.

cap. 11. Dicebã enĩ apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat. Et cũ verbo iã ibã in placitũ, iã pene faciebam: nec relabebar tñ in priſtina, ſed de proximo ſtabam, & reſpirabam & item conabar, & paulominꝰ ibi erã, & paulominꝰ iã iáq́ue attingebã & tenebã, & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ viuere: plusq́. in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum. punctumque ipſum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorẽ, ſed non recutiebat retro, nec auertebat, ſed ſuſpendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant. Dimittis ne nos? Et à momento iſto non erimus tecum vltra in æternum, & à momento iſto nõ tibi licebit hoc, & illud vltra in æternum? Et audiebã eas iam longe minus, quàm dimidius, non tamquam libere contradicentes eundo in obuiam, ſed veluti à dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, vt reſpicerem. retardabant tamen me, cunctantem abripere, atq; excutere ab eis, & tranſilire quò vocabar, cum diceret mihi conſuetudo violenta: Putaſne ſine iſtis poteris? ſed iã tepidiſſime hoc dicebat. Et erubeſcebam nimis, quia illarũ nugarũ murmur adhuc audiebã, & cunctabũdus pendebam. Et rurſus illa quaſi diceret: Obſurdeſce aduerſus im-
Col. 3 munda illa membra tua ſuper terram, vt mortificentur.
pſal. 118 Narrant tibi delectationes, ſed non ſicut lex domini Dei tui. Iſta controuerſia in corde meo, non niſi de me ipſo, aduerſus me ipſum. At Alipius, affixus lateri meo, inuſitati motus mei exitum tacitus operiebatur.

Vocis admonitu quomodo totꝰ ad Deum conuerſus

Vbi vero à fundo arcano alta conſideratio contraxit, & congeſſit totam miſeriam meã in conſpectum cordis mei, oborta eſt procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus ſuis ſurrexi

ab Ali-

ab Alipio. Solitudo mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur. Et ſeceſſi remotius, quàm vt poſſet mihi oneroſa eſſe etiam eius præſentia. Sic tunc eram, & ille ſenſit neſcio quid. Aliquid enim puto dixeram, in quo apparebat ſonus vocis meæ iam fletu grauidus, & ſic ſurrexeram. Mãſit ergo illic, vbi ſedebamus, nimie ſtupens. Ego ſub quadam fici arbore ſtraui me, neſcio quomodo, & dimiſi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorũ, acceptabile ſacrificium tuum. Et non quidem his verbis, Pſal. 6.
ſed in hac ſententia multa dixi tibi. Et tu domine vſquequo? Vſquequo, domine iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Pſal. 78.
Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miſerabiles: Quamdiu, quamdiu? cras, & cras. Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amariſſima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicẽtis, & crebro repetentis, quaſi pueri, aut puellæ, neſcio. Tolle lege. Tolle lege. Statimque mutato vultu intentiſſimus cogitare cœpi, vtrum nam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cãtare tale aliquid; nec occurrebat omnino audiuiſſe me vſpiam. Repreſſoq. impetu lacrymarum, ſurrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, niſi vt aperirem codicem, & legerem, quod primum caput inueniſſem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui forte ſuperuenerat, admonitus fuerit, tamquam ſibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis; & veni, ſequere me: & tali oraculo confeſtim ad te eſſe conuerſum. Itaque concitus redij ad eum locum, vbi ſedebat Alipius: ibi enim poſueram codicem Apoſtoli, cum inde ſurrexeram. Arripui: aperui; & legi in ſilentio capitulum, quo primum conie cti ſunt oculi mei. Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, ſed induite dominum Ieſum Chriſtum, &

Sub ficu flet & vocẽ audit, tolle lege.

Mat. 19.

Rom. 13.

carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcētijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tunc, interiecto aut digito, aut neſcio quo alio ſigno, codicem clauſi, & tranquillo iam vultu indicaui Alipio. At ille, quid in ſe ageretur, quod ego neſciebam, ſic indicauit. Petit videre, quid legiſſem; Oſtendi, & attendit etiam vltra quam ego legeram; & ignorabam quid ſequeretur. Sequebatur vero: Infirmum autem in fide aſſumite. Quod ille ad ſe retulit, mihique aperuit: ſed tali admonitione firmatus eſt, placitoque, ac propoſito bono, & congruentiſſimo ſuis moribus, quibus à me in melius iam olim valde, longeq. diſtabat, ſine vlla turbulenta cunctatione coniunctus eſt. Inde ad matrem ingredimur: indicamus; gaudet: narramus, quemadmodum geſtum ſit; exultat, & triumphat, & benedicit tibi, qui potens es, vltra quàm petimus, aut intelligimus, facere; quia tanto amplius ſibi à te de me conceſſum videbat, quàm petere ſolebat miſerabilibus eius, flebilibuſque gemitibus. Conuertiſti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſæculi huius; ſtans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertiſti luctum eius in gaudium, multo vberius, quā voluerat, & multo charius, atque caſtius, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat.

Rom. 14. — Gaudium matris. — Eph. 3. — pſal. 29.

Ex Libro IX.

cap. 1. — pſal. 82. — Nunc gaudiū eſt Auguſt. dimittere nugas, quas amittere metus erat.

DOmine, ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Quàm ſuaue mihi ſubito factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum: & garriebam tibi

claritati

claritati meæ, & diuitijs meis, & ſaluti meæ, domino Deo meo.

Et placuit mihi in conſpectu tuo non tumultuoſe abripere, ſed leniter ſubtrahere miniſterium linguæ meæ nundinis loquacitatis, ne vlterius pueri meditantes non legẽ tuam, non pacem tuam, ſed inſanias mendaces, & bella forenſia mercarentur ex ore meo arma furori ſuo. Et opportune iam pauciſſimi dies ſupererãt ad vindemiales ferias; & ſtatui tolerare illos, vt ſolenniter abſcederem, & redemptus à te, iam non redirem venalis. Sagittaueras tu cor noſtrum charitate tua, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſeruorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ, vrebant, & abſumebant grauem torporẽ, ne in ima vergeremus,& accendebant nos valide, vt omnis ex lingua ſubdola contradictionis flatus inflammare nos acrius poſſet, non extinguere. Verumtamen, quia propter nomen tuum, quod ſanctificaſti per terras, etiam laudatores vtiq. haberent votum, & propoſitum noſtrum, iactantiæ ſimile videbatur, non operiri tam proximum feriarum tempus. Quin etiam, quod ipſa æſtate litterario labori nimio pulmo meus cedere cœperat, & difficulter trahere ſuſpiria, doloribuſque pectoris teſtari ſe ſaucium, vocemq. clariorem, productioremue recuſare, primo perturbauerat me, quia magiſterij illius ſarcinam pene iam neceſſitate deponere cogebar, aut ſi curari, & conualeſcere potuiſſem, certe intermittere. Sed vbi plena voluntas vacandi, & videndi, quoniam tu es dominus, oborta mihi eſt, atque firmata; noſti, Deus meus, etiam gaudere cœpi, quod hæc quoque ſuberat non mendax excuſatio, quæ offenſionem hominum temperaret, qui, propter liberos ſuos, me liberum eſſe numquam volebant. Plenus igitur tali gaudio, tolerabam illud interuallum temporis, donec decurreret; neſcio vtrum vel viginti dies erant. Sed tamen fortiter tolerabantur, quia receſſerat cupiditas, quæ mecum

cap. 2. Tempus opportunum pro deſerẽda profeſſione rhetoricę expectare deliberat.

ſolebat ferre graue negotium, & ego premendus remanſeram, niſi patientia ſuccederet.

cap. 3. De Verecũdi, in cuius Rure erant conuerſione dilata, & tandem completa.

Macerabatur anxietudine Verecundus de iſto noſtro bono, quod propter vincula ſua, quibus tenaciſſime tenebatur, deſeri ſe noſtro conſortio videbat, nondum Chriſtianus coniuge fideli: ea ipſa tamen arctiore præ ceteris compede ab itinere, quod aggreſſi eramus, retardabatur. Nec Chriſtianum eſſe alio modo ſe velle dicebat, quàm illo, quo non poterat. Benigne ſane obtulit, vt quamdiu ibi eſſemus, in rure eius eſſemus. Retribues illi domine, in reſurrectione iuſtorum, quia iam ipſam ſortem retribuiſti ei. Quamuis enim abſentibus nobis, cum Romæ iam eſſemus, corporali ægritudine correptus, & in ea iam Chriſtianus, & fidelis factus, ex hac vita emigrauit. Angebatur tunc

De Nebridij conuerſione perfecta.

ipſe: Nebridius autem collætabatur. Quamuis enim & ipſe nondum Chriſtianus, in illam foueam pernicioſiſſimi erroris inciderat, vt veritatis filij tui carnem phantaſma crederet; tamen inde emergens, ſic ſibi erat, nondum vllis Eccleſiæ tuæ ſacramentis imbutus, ſed inquiſitor ardentiſſimus veritatis. Quem non multo poſt conuerſionem noſtram, & regenerationem per baptiſmum tuum, ipſum etiam fidelem catholicum, caſtitate perfecta, atque continentia tibi ſeruientem, in Africa apud ſuos, cum tota domus eius, per eum Chriſtiana facta eſſet, carne ſoluiſti;&

Luc.18. nunc ille viuit in ſinu Abraam. Sic ergo eramus Verecundum conſolantes triſtem, ſalua amicitia, de tali conuerſatione noſtra, & exhortantes ad fidem gradus ſui, vitæ ſcilicet coniugalis: Nebridium autem operientes, quando ſequeretur, quod de tam proximo poterat, & erat iam, iamq; facturus. Cum ecce euoluti ſunt dies illi tandem, nã longi, & multi videbantur præ amore libertatis otioſæ ad

pſal. 26. cantandum de medullis omnibus: Tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuum, vultum tuum Domine, requiram.

cap. 4. Et venit dies, in quo etiam actu ſoluerer à profeſſione rhetorica, vnde iam cogitatu ſolutus eram. Et factum eſt.

Et

Et eruiſti linguam meam, vnde iam erueras cor meum; & benedicebam tibi gaudens, profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in litteris, iam quidem ſeruientibus tibi, ſed adhuc in ſuperbiæ ſcholam, tamquam in pauſatione anhelantibus, teſtantur libri diſputati cum præſentibus, & cum ipſo me ſolo coram te. Quæ autem cum abſente Nebridio, teſtantur epiſtolæ. Et quando mihi ſufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore? Quas tibi, Deus meus, voces dedi, cum legerem Pſalmos Dauid, cantica fidelia, & ſonos pietatis, excludentes turgidum ſpiritum, rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa, cum catechumeno Alipio, feriatus, matre adhærente nobis, muliebri habitu, virili fide, anili ſecuritate, materna charitate, Chriſtiana pietate? Sed nec oblitus ſum, nec ſilebo flagelli tui aſperitatem, & miſericordiæ tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentium tunc excruciabas me, & cum tantum ingraueſceret, vt non valerem loqui, aſcendit in cor meum, admonere omnes meos, qui aderant, vt deprecarentur te pro me, Deum ſalutis omnimodæ, & ſcripſi in cæra, & dedi eis, vt legeretur. Mox vt genua ſupplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? expaui, fateor, domine Deus, Deus meus: nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et inſinuati ſunt mihi in profundo nutus tui; & gaudens in fide laudaui nomen tuum, & ea fides me ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptiſmum tuum remiſſa nondum erant.

In villa quæ diſputauit teſtantur libri, & epiſtolæ.

Dolore dentium excruciatur, & orātibus omnibus mox fugit dolor.

cap. 5.

Renunciaui, peractis vindemialibus, vt ſcholaſticis ſuis Mediolanenſes venditorem verborum alium prouiderent, quod & tibi ego ſeruire delegiſſem, & illi profeſſioni præ difficultate ſpirandi, ac dolore pectoris non ſufficerem. Et inſinuaui per litteras Antiſtiti tuo, uiro ſancto Ambroſio, priſtinos errores meos, & præſens votum meum, vt moneret, quid potiſſimum mihi de libris tuis legendum eſſet, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior, aptiorque fierem.

Renuntiat profeſſioni rhetoricæ

Ambroſiū cōſulit qd ſibi legendum.

At ille

At ille iuſſit Eſaiam prophetam: credo, quod præ ceteris Euangelij, vocationiſque gentium ſit prænunciator apertior. Veruntamen ego primam huius lectionem non intelligens, totamque talem arbitrans, diſtuli repetendam exercitatior in dominico eloquio.

cap. 6. Mediolani baptizatur & cum eo Alipius, & Adeodatus. Alipius domandi corporis cauſſa nudis gradit. pedibus. De mirabili ingenio Adeodati eius filij.

Inde vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeauimus. Placuit, & Alipio renaſci in te mecum, iam induto humilitate, ſacramentis tuis congrua, & fortiſſimo domitori corporis, vſque ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum inſolito auſu. Adiunximus etiam nobis puerum Adeodatum, ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, & ingenio præueniebat multos graues, & doctos viros. Eſt liber noſter, qui inſcribitur de magiſtro. Ipſe ibi mecum loquitur. Tu ſcis illius eſſe ſenſa omnia, quæ inſeruntur ibi ex perſona collocutoris mei, cum eſſet in annis ſexdecim. Multa eius alia mirabiliora expertus ſum. Horrori mihi erat illud ingenium, & quis, præter te, talium miraculorum opifex?

Adeodatus moritur adoleſcens.

Cito de terra abſtuliſti vitam eius, & ſecurior eum recordor, non timens quicquam pueritiæ, nec adoleſcentiæ, nec omnino homini illi. Sociauimus eum, coæuum nobis in gratia tua, educandum in diſciplina tua; & baptizati ſumus, & fugit à nobis ſollicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabar illis diebus, dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilij diuini ſuper ſalutem generis humani. Quãtum fleui in hymnis, & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebãt auribus meis, & eliquebatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.

cap. 8. pſal. 67. De Euodij baptiſmo.

Qui habitare facis vnanimes in domo, conſociaſti nobis, & Euodium, iuuenem ex noſtro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuerſus eſt, & baptizatus, & relicta militia ſeculari, accinctus eſt in tua.

Simul

Simul eramus, ſimul habitabamus, placito ſancto quærebamus, quis nam locus nos vtilius haberet ſeruientes tibi; pariter remeabamus in Africam. Et cum apud Oſtia Tiberina eſſemus, mater defuncta eſt. Multa prætereo, quia multum feſtino.

Dum redeunt, in Africam mater diẽ extremum claudit.

F I N I S.



VITA S. AVGVSTINI EPISCOPI. PRAESTANTISSIMI ECCLESIÆ DOCTORIS

edita à Poſſidio, primum eius diſcipulo, poſtea Epiſcopo Calamenſi. * Poſſidonio.

PROLOGVS AVCTORIS.

INSPIRANTE rerum omnium factore & gubernatore Deo, mei memor propoſiti, quo per gratiam Saluatoris, omnipotenti ac diuinæ Trinitati per fidem ſeruire decreui, & antea in vita laicorum, & nunc in officio Epiſcoporum: ſtudens ex qualicunque accepto ingenio & ſermone ædificationi prodeſſe ſanctæ ac veræ Chriſti Domini catholicæ Eccleſiæ, de vita ac moribus prædeſtinati, & ſuo tempore præſentati ſacerdotis optimi Auguſtini, quæ in eodem vidi, ab eodemque audiui, minime reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuiſſe à religioſiſsimis ſanctæ matris Eccleſiæ catholicæ viris, legimus & comperimus: qui diuino afflati ſpiritu, ſermone proprio, atque ſtylo, & auribus & oculis ſcire volentium, dicendo & ſcribendo, ſimilia ſtudioſorum notitiæ intulerunt, quales quantiq; viri ſancti ex communi Domini gratia in rebus humanis & viuere, & vſque in finem obitus perſeuerare meruerunt. Idcirco ipſe quoq; diſpenſatorum omnium minimus,

fide non ficta, qua Domino dominantium, omnibusq; bonis ſeruiendum & placendum eſt fidelibus, de prædicti venerabilis exortu viri & procurſu & debito fine, quæ per eum didici & expertus ſum, quamplurimis annis eius inhærens charitati, vt Dominus donauerit, explicandũ ſuſcepi.

Verum, ſummam quæſo maieſtatem, quo munus huiuſmodi à me arreptum ita geram & peragam, vt nec patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Eccleſiæ filiorum vlla ex parte fraudare videar charitatem. Nec enim attingam ea omnia inſinuare, quæ idem beatiſſimus Auguſtinus in ſuis Confeſſionum libris de ſemetipſo, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisq; iam ſumpta viueret, deſignauit. Hoc enim facere voluit, vt ait Apo-
2. Cor. 12. *ſtolus: ne de ſe quiſquam hominum ſupra, quàm ſe eſſe nouerat, aut de ſe auditum fuiſſet, crederet vel putaret, humilitatis ſanctæ more vtens, & iam nullum fallens, ſed laudem non ſuam, ſed ſui Domini, de propria liberatione ac munere quærens, ex ijs videlicet, quæ iam perceperat, & fraternas preces poſcens de ijs, quæ accipere cupiebat. Sacramentum*
Tob. 12. *igitur regis, quod Angelica auctoritate prolatum eſt, bonũ eſt abſcondere: opera autem Domini reuelare & confiteri, honorificum eſt.*

NARRA-

NARRATIO.

CAP. I.

IGitur beatiſſimus Auguſtinus ex prouincia Africana ciuitate Thagaſtenſi, de numero curialium, parentibus honeſtis & Chriſtianis progenitus erat, alitusq; ac nutritus eorum cura, ac diligentia impenſisq;, ſecularibus litteris eruditus apprime, omnibus videlicet diſciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticam prius in ſua ciuitate, & Rhetoricam in Africæ capite Carthagine poſtea docuit. Conſequenti etiam tempore trans mare in vrbe Roma, & apud Mediolanum, vbi tunc temporis Imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat conſtitutus. In qua vrbe tunc Epiſcopatum adminiſtrabat acceptiſſimus Deo, & in optimis viris præclariſſimus ſacerdos eximius Ambroſius. Huius interea verbi Dei prædicatoris frequentiſſimis in eccleſia diſputationibus adſtans in populo, intendebat ſuſpenſus atq; affixus. Verum aliquando Manichæorum apud Carthaginem adoleſcens fuerat errore ſeductus: & ideo ceteris ſuſpenſior aderat, ne quid vel pro ipſa, vel contra ipſam hæreſim diceretur. Sed prouenit Dei liberatoris clementia, ſui ſacerdotis Ambroſij cor pertractantis, vt contra illum errorem incidentes legis ſoluerentur quæſtiones, atque ita edoctus ſenſim atque paulatim, hæreſis illa miſeratione diuina eius ex animo pulſa eſt. Protinusq. ipſe in fide catholica confirmatus eſt. proficiendi in religione eidem amoris ardor tantus innatus eſt, vt propinquantibus diebus ſanctis Paſchæ ſalutis aquam perciperet. Et factum eſt, diuina præſtante opitulatione, vt per illum talem ac tantum antiſtitem Ambroſium, & doctrinam ſalutarem Eccleſiæ catholicæ, & diuina Auguſtinus perciperet ſacramenta.

S. Ambroſij encomion.

Auguſtin' Manichęus.

Baptizatur ab Ambroſio.

CAP. II.

Mira conuerſio.

MOxq́. ex intimis cordis medullis ad Deum conuerſus, ſpem omnem, quam habebat in ſeculo, dereliquit, iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores ſeculi quærens: ſed ſoli Deo cum ſuis ſeruire ſtatuit, in illo & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere puſillus grex: quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum: Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: Facite vobis ſacculos non veteraſcentes, theſauros non deficientes in cælis. Et illud, quod iterum dicit Dominus, idem vir ſanctus facere cupiens: Si vis eſſe perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis; & veni, ſequere me: Et ſuper fidei fundamentum ædificare deſiderans, non ligna, fœnum, ſtipulam, ſed aurum, argentum & lapides precioſos. Et erat tunc annis maior triginta, ſola ſuperſtite matre, nomine Monica, ſibique adhærente, & de ſuſcepto eius propoſito ſeruiendi Deo amplius, quàm de carnis nepotibus exultante. Nam eius pater, Patritius dictus, antea defunctus erat. Renunciauit etiam ſcholaſticis, quos Rhetoricen docebat, vt ſibi magiſtrum alium prouiderent, eo quòd ſeruire Deo ipſe decreuiſſet.

Luc. 12. Matt. 19. 1. Cor. 3.

CAP. III.

AC placuit ei, percepta baptiſmi gratia, cum alijs ciuibus & amicis ſuis, Deo pariter ſeruientibus, ad Africam & propriam domum agroſq́. remeare. Ad quos veniens, & in quibus conſtitutus ferme triennio, & à ſe iã alienatis curis ſecularibus, cum ijs, qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, boniſq́. operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de ijs, quæ ſibi Deus cogitanti atque oranti intellecta reuelabat, &

præſentes

præſentes & abſentes ſermonibus ac libris docebat. Contigit forte eodem tempore, vt quidam ex ijs, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem regium conſtitutus, bene Chriſtianus, Deumq́. timens, comperta eius bona fama atque doctrina, deſideraret atque optaret eum videre, promittens ſe poſſe mundi huius omnes contemnere cupiditates atque illecebras, ſi aliquando ex eius ore Dei verbum audire meruiſſet. Quod cum ad ſe fideli fuiſſet relatione delatum, liberare animam cupiens ab huius vitæ periculis, morteq́. æterna, ad memoratam vltro atque confeſtim venit ciuitatem, & hominem viſum allocutus frequentius atque exhortatus eſt, quantum Deus donabat, vt quod Deo vouerat, redderet. Hæc ſe ille facturum de die in diem pollicebatur, nec tamen in eius tunc hoc impleuit præſentia. Sed vacare vtique & inane eſſe non potuit, quod per tale vas mundum, in honorem vtile Domino, ad omne opus bonum paratum, in omni loco diuina gerebat prouidentia.

CAP. IIII.

EOdem itaque tempore in eccleſia Hipponenſi catholica, Valerius ſanctus Epiſcopatum gerebat. Qui cum, flagitante eccleſiaſtica neceſſitate, de prouidendo & ordinando presbytero ciuitatis, Dei plebem alloqueretur, & exhortaretur: iam ſcientes catholici ſancti Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu iniecta, quoniam & idem in populo ſecurus & ignarus, quid futurum eſſet, adſtabat. Solebat autem laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantum eccleſijs, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam. Eum ergo tenuerunt, & vt in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno cōſenſu & deſiderio fieri perficiq́. petentibus, magnoq́. ſtudio & clamore flagitantibus, vbertim eo flente: nonnullis quidē lacrymas eius, vt nobis ipſe retulit, tunc ſuperbe interpretantib⁹, & tanq̄ eum conſolantibus, ac dicētib⁹ quia locus presby-

Ordinatur eius preſbyter S. Auguſtinus.

presbyterij, licet ipſe maiore dignus eſſet, appropinquaret tamen Epiſcopatui. Cum ille homo Dei, vt nobis retulit, maiori conſideratione intelligeret & gemeret, quam multa & quàm magna ſuæ vitæ pericula de regimine & gubernatione eccleſiæ impendere ac prouenire ſpectaret, atque ideo fleret. Et eorum tunc, vt voluerunt, completum eſt deſiderium.

C A P. V.

Conſtruit monaſterium.

FActus ergo presbyter, monaſterium intra eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit ſecundum modum & regulam, ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutã: Maxime, vt nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur vnicuique, prout cuique opus erat: quòd iam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet. Sanctus vero Valerius ordinator eius, vt erat vir pijſſimus & Deum timens, exultabat & Deo gratias agebat, ſuas exauditas à Domino fuiſſe preces: quas ſe frequentiſſime fudiſſe narrabat: ſcilicet, vt ſibi diuinitus homo concederetur talis, qui poſſet verbo Dei & doctrina ſalubri Eccleſiam Dei ædificare: cui rei ſe homo natura Græcus, minusque Latina lingua & litteris inſtructus, minus vtilem peruidebat. Et eidem presbytero poteſtatem dedit coram ſe in eccleſia Euangeliũ prædicandi, ac frequentiſſime tractandi, contra vſum quidem & couſuetudinem Africanarum eccleſiarum. Vnde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac prouidus, in Orientalibus eccleſijs id ex more fieri ſciens, vtilitati eccleſiæ conſulens, obtrectatorum nõ curabat linguas, dummodo factitaretur à presbytero, quod à ſe Epiſcopo impleri minime poſſe cernebat. Vnde accenſa & ardens, eleuata ſuper candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant, lucebat. Et poſtea currente & volante huiuſmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab Epiſcopis poteſtate, presbyteri nonnulli coram Epiſcopis,

populis

populis tractare cœperunt verbum Dei.

C A P. VI.

SAne tunc in illa Hipponenſi vrbe Manichæorum peſtilẽtia quamplurimos ciues & peregrinos infecerat & pene trauerat, ſeducente & decipiente eiuſdem hæreſis quodã presbytero, nomine Fortunato, ibidem conuerſante atque morante. Interea Hipponenſes ciues & peregrini Chriſtiani, tam catholici, quàm etiam Donatiſtæ, adeunt Auguſtinum presbyterum, atque depoſcunt, vt illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, & cum eodem de lege tractaret. Quod idem, vt ſcriptum eſt, paratus ad reſponſionem omni poſcenti ſe rationem de fide & ſpe, quæ in Deo eſt, potensque exhortari in doctrina ſana, & contradicentes redarguere, minime renuit: ſed vtrum etiam hoc Fortunatus fieri vellet, ſciſcitatus eſt. At illi confeſtim ad ipſum Fortunatum id detulerũt, petentes & exhortantes ac flagitantes, quòd id minime recuſaret. Sane quoniam idem Fortunatus iam apud Carthaginem ſanctum nouerat Auguſtinum, adhuc in eodem ſecum errore conſtitutum, cum eodem congredi pauitabat. Veruntamen ſuorum maxime inſtantia coactus ac verecundatus, promiſit cominus ſe eſſe venturum, certamenq́. diſputandi ſubiturum. Vnde condicto die & loco, conuenerunt in vnum, concurrentibus quamplurimis viris ſtudioſis turbisque curioſis: & apertis notariorum tabulis, diſputatio cœpta primo, & ſecundo finita eſt die. In qua ille Manichæus præceptor, vt geſtorum continet fides, nec Catholicam aſſertionem potuit euacuare, nec Manichæorum ſectam ſubnixa veritate valuit comprobare: ſed deficiens reſponſione, vltimo collaturum ſe cum ſuis maioribus ea, quæ refellere non potuit, proſecutus eſt, & ſi ſibi forte de his ſatis minime feciſſent, ſuæ animæ conſulturum: atque ita ab omnibus, apud quos magnus & doctus videbatur, nihil va-

Fortunatus presbyter Manichæus.

1.Pet.3. Tit.1.

Diſputat cum Fortunato Auguſtinus.

hil valuiſſe in ſuæ ſectæ aſſertione iudicatus eſt. Qua ille cōfuſione affectus, & ſequenti tempore de Hipponenſi ciuitate profectus, ad eandem amplius non remeauit: Ac ſic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui abſentes illa, quæ geſta ſunt, cognouerant, error ille ablatus, catholicaque eſt intimata ac comperta ſyncera religio.

CAP. VII.

Hæreticos egregie cōfutat.

ET docebat ac prædicabat ille priuatim & publice, in domo & in eccleſia ſalutis verbum cum omni fiducia aduerſus Africanas hæreſes, maximeq́. contra Donatiſtas, Manichæos & Pelagianos, libris confectis, ac repetitis ſermonibus, ineffabiliter admirantibus Chriſtianis & collætantibus, & hoc ipſum, vbi poterant, non tacentibus, ſed diffamantibus. Sicque, adiuuante Domino, leuare in Africa Eccleſia Catholica exorſa eſt caput, quæ multo tempore, illis conualeſcentibus hæreticis, præcipueque rebaptizante Donati parte maiorem multitudinem Afrorum, ſeducta & oppreſſa iacebat. Libros vero eiuſdem ſiue tractatus, mirabili DEI gratia procedentes ac profluentes, inſtructos omni rationis copia, atque auctoritate ſanctarum ſcripturarum, ipſi quoque hæretici concurrentes, cum Catholicis ingenti ardore audiebant: & quiſquis, vt voluit & potuit, notarios adhibens, etiam ea, quæ dicebantur, excepta deſcripſit. Et inde iam per totum Africæ corpus præclara doctrina, odorq́. ſuauiſſimus Chriſti, diffuſa & manifeſtata eſt, congaudente, hoc quoque comperto,
1. Cor. 12. Eccleſia Dei tranſmarina. Quoniam ſicut dum patitur vnū membrum, compatiuntur omnia membra: ita etiam cum glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra.

Hipponēſe Concilium.

Per idem tempus coram Epiſcopis, hoc illi iubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone agebant, de fide & ſymbolo presbyter adhuc Auguſtinus diſputauit.

CAP.

CAP. VIII.

ILle verò beatus ſenex Valerius, ceteris ex hoc amplius exultans, & Deo gratias agens de conceſſo ſibi ſpeciali beneficio, metuere cœpit, vt eſt humanus animus, ne ab alia eccleſia ſacerdos probatus ad Epiſcopatum quæreretur, & ſibi auferretur. Nam & id prouenißet, niſi & hoc idem Epiſcopus cognito, ad locum ſecretum eum tranſire curaſſet, occultatumque à quærentibus minime inuenire feciſſet. Vnde amplius formidans idem venerabilis ſenex, & ſciens ſe corpore & ætate infirmiſſimū, egit ſecretis litteris apud Primatem Epiſcopum ſedis Charthaginenſis, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque grauitatem, & obſecrans, vt Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, qui ſuæ cathedræ non iam ſuccederet, ſed conſacerdos accederet Auguſtinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit & rogauit, ſatagens reſcripto impetrauit. Poſt quam petitionem ad viſitandum adueniente ad eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo, Valerius Antiſtes Epiſcopis, qui forte tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponenſibus, & vniuerſæ plebi inopinatam cunctis ſuam inſinuat tunc voluntatem: omnibuſque audientibus & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamātibus, Epiſcopatum ſuſcipere contra morem Eccleſiæ, ſuo viuente Epiſcopo, presbyter Auguſtinus recuſabat. Dumque id fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro tranſmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam & maioris loci ordinationem ſuſcepit. Quod in ſeipſo poſtea fieri non debuiſſe, vt viuo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit & ſcripſit, propter concilij vniuerſalis vetitum, quod iam ordinatus didicit: nec, quod ſibi factum eſſe doluit, alijs fieri voluit. Vnde etiā ſategit, vt concilijs conſtitueretur Epiſcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis, vel ordinatis, om-

Cogitur eſſe Epiſcopus Valerio viuente.

nium ſtatuta ſacerdotum in notitiam eſſe deferenda.

C A P. IX.

ATque ita factum eſt, vt Epiſcopatu ſuſcepto, multo inſtantius ac feruentius maiore auctoritate, non adhuc in vna tantum regione, ſed vbicunque rogatus veniſſet verbum ſalutis æternæ alacriter ac ſuauiter, pullulante atq; creſcente Domini Eccleſia, prædicaret, paratus ſemper poſcentibus reddere rationem de fide & ſpe, quæ in Deum eſt. Et eius dicta atque excepta, maxime Donatiſtæ in eadem Hipponenſi vel vicina manẽtes ciuitate, ad ſuos Epiſcopos deferebant. Quæ cum audiſſent, & econtra forte aliquid dicerent, aut à ſuis refellebatur, aut eadem res ad ſanctum Auguſtinum deferebatur: eaque cõperta, patienter ac leniter, vt ſcriptum eſt, cum timore & tremore ſalutem omnium operabatur: Oſtendens, quòd nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifeſtumque ſit, quod Eccleſiæ Dei fides tenet & docet. Et hæc diebus ac noctib⁹ ab eodem iugiter agebantur. Nam & Epiſtolas priuatas ad quoſcunque eiuſdem erroris Epiſcopos, & eminẽtes ſcilicet laicos dedit, ratione reddita admonẽs atque exhortans, vt vel ab illa ſe prauitate corrigerent, vel certe ad diſputationes venirent. Illi vero cauſa diffidentiæ nihil vnquam reſcribere voluerunt: ſed irati furioſa loquebantur, atque ſeductorem deceptoremque animarum Auguſtinum eſſe, & priuatim & publicè conclamabant, & velut lupum occidendum eſſe, in defenſionem gregis ſcilicet ſui, dicebant & tractabant, omniaque peccata à Deo indubitanter eſſe credendum poſſe dimitti ijs, qui hoc facere ac perficere potuiſſent, nec Deum timentes, nec homines erubeſcentes. Et vt eorum cauſa diffidentiæ cunctis innoteſceret, elaborauit: & publicis geſtis conuenti, non ſunt auſi conferre.

Pugna cũ donatiſtis.

Philip. 2.

Nota ſæuitiam Donatiſtarum.

CAP.

C A P. X.

HAbebant etiam ijdem Donatiſtæ per ſuas pene omnes eccleſias inauditum hominum genus, peruerſum ac violentum, velut ſub profeſſione continentium ambulantes, qui Cicuncelliones dicebantur. Et erat ingenti numero & turba, per omnes fere Africanas regiones conſtituti. Qui malis imbuti doctoribus, audacia ſuperba & temeritate illicita, nec ſuis, nec alienis aliquando parcebāt, contra ius faſque* in cauſis interdicentes hominibus: & niſi obediſſent, damnis grauiſſimis & cædibus afficiebant, armati diuerſis telis, bacchantes per agros villaſq́. vſque ad ſanguinis effuſionem accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei ſedulo prædicaretur, & cum ijs, qui oderunt pacem, pacis ratio haberetur: illi pacem loquentem debellabant gratis. Cumque aduerſus eorum dogma veritas innoteſceret, qui volebant & poterant, ſeſe inde vel eripiebant, vel ſubducebant, & paci atque vnitati Eccleſiæ cum ſuis, quibus poterant, cohærebant. Vnde illi ſui erroris cō gregationem minui videntes, atque augmentis Eccleſiæ inuidentes, accenſi exardeſcebant ira grauiſſima, & intolerabiles perſecutiones vnitati Eccleſiæ compacti faciebant: Ipſiſque ſacerdotibus catholicis & miniſtris aggreſſiones diurnas atque nocturnas, direptioneſq́. rerum omnium vi inferebant. Nam & multos Dei ſeruos cædibus debilitauerunt: aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miſerunt, alioſque occiderunt. Vnde etiam ſuis ijdem Donatiſtæ rebaptizatores in odium veniebant.

Circumcel liorum inmanitas.

* incautis.

C A P. XI.

PRoficiente vero doctrina diuina, ſub ſancto & cum ſancto Auguſtino in monaſterio Deo ſeruientes, Eccleſiæ Hipponenſi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innote-

Nota cū S. Auguſtino in monaſterio vixiſſe ſeruos Dei.

ſcente & clareſcente de die in diem Eccleſiæ catholicæ prædicationis veritate, ſanctorumque ſeruorum Dei propoſito continentiæ & paupertate profunda, ex monaſterio, quod per illum venerabilem virum, & eſſe & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & clericos pax Eccleſiæ atque vnitas & cœpit primo,& poſtea con ſecuta eſt. Nam fermè decem,quos ipſe noui,ſanctos ac venerabiles viros,continentes & doctiſſimos,beatus Auguſtinus diuerſis eccleſijs,nonnullis quoque eminentioribus,rogatus dedit.Similiterque & ipſi ex illorum Sanctorum propoſito venietes,Domini eccleſijs propagatis, & monaſteria inſtituerunt,& ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei,cæteris eccleſijs promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt. Vnde per multos & in multis ſalubris fidei, ſpei, & charitatis Eccleſiæ innoteſcente doctrina non ſolum per omnes Africanas partes,verumetiam in tranſmarinis,& per libros editos,atque in Græcum ſermonem tranſlatos, ab illo vno homine, & per illum multis, fauente Deo, multa innoteſcere meruerunt. Atque hinc, vt ſcriptũ eſt, peccator videns iraſcebatur,dentibus ſuis frendebat & tabeſcebat: ſerui autem Chriſti, vt dictum eſt, cum ijs, qui oderunt pacem,erant pacifici,& cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis.

Pſal.111.
Pſal.119.

C A P. XII.

ALiquoties vero etiam vias armati ijdem Circuncelliones contra famulum Dei Auguſtinum obſederunt, dũ forte iret rogatus ad viſitandas, inſtruendaſq. & exhortandas catholicas plebes: quod ipſe frequẽtiſſime faciebat, Et aliquando contigit, vt illi ſuccenturiati hactenus perderent captionem:euenit quidem Dei prouidentia, ſed ductoris hominis errore,vt per aliam viam cum ſuis comitibus ſacerdos quo tendebat, veniſſet, atq. per hunc, quem poſtea cognouit errorem,manus impias euaſiſſet. Et cum in omnibus

Circuncelliones ei inſidiantur.

bus liberatori Deo gratias egiſſet, illi omnino ſuo more, nec laicis, nec clericis pepercerunt, ſicut publica teſtantur geſta. Interea ſilendum nõ eſt, quod ad laudem Dei per illi⁹ tam egregij in eccleſia viri ſtudium, domuſque Dei zelum, aduerſus prædictos rebaptizatores Donatiſtas geſtum & perfectum eſt. Cum forte vnus ex ijs, quos de ſuo monaſterio & clero Epiſcopus eccleſiæ propagauerat, ad ſuam curã pertinentem Calamenſis eccleſiæ diœceſim viſitaret, vt quæ (Is fuit Poſſidius.) didicerat pro pace Eccleſiæ contra illã hæreſim prædicaret: factum eſt, vt in medio itinere, cum eorum inſidias incurriſſet, ægre cum omnibus ſe comitantibus euaſerit, iniuria tamen, ablatis per vim iumentis, alijſque rebus grauiſſime affectus. De qua re, ne pacis eccleſiæ amplius impediretur profectus, defenſor eccleſiæ inter leges non ſiluit.

Et præceptus eſt Criſpinus, qui ijſdem Donatiſtis in Calamenſi ciuitate & regione Epiſcopus fuit, prædicator ſcilicet falſus, & multi temporis doctor, ad mulctam teneri aurariam, publicis legibus contra hæreticos conſtitutam. Qui reſultans legibus, cum præſentatus apud Proconſulem ſe negaret hæreticum, oborta eſt neceſſitas, vt illi, recedente Eccleſiæ defenſore, à catholico Epiſcopo reſiſteretur, & cõuinceretur eum eſſe, quod ſe fuiſſe negauerat: Quoniam ſi à Catholico diſſimularetur, forte Catholicus Epiſcopus, qui erat hæreticus, crederetur, illo ſe, quod erat, negante, atque ita ex hac deſidia infirmis ſcandalum naſceretur. Et tunc memorabili Auguſtino antiſtite omnimodis inſtante, ad controuerſiam ambo ipſi Calamenſes Epiſcopi, Catholicus ſcilicet & hæreticus, venerunt, & de ipſa diuerſa communione tertio conflictu ſecum egerunt, magna populorũ Chriſtianorum multitudine cauſæ exitum, & apud Carthaginem, & per totam Africam expectante: atque ille Criſpinus Proconſulari & libellari ſententia eſt pronunciatus hæreticus: Proque illo apud cognitorem catholicus Epiſcopus interceſſit, ne auraria mulcta exigeretur, & ei beneficium eſt impetratum. Vnde cum ingratus ad pijſſimũ prin-

cipem

cipem prouocaſſet, ab Imperatore eſt reſponſum & conſequenter præceptum, nullo prorſus loco hæreticos Donatiſtas eſſe debere, & eos ad vim legum omnium, contra hæreticos latarum, vbique teneri debere. Ex quo & idem Criſpinus, & cæteri ſibi compares hæretici, præcepti ſunt denas auri libras fiſci iuribus inferre. Sed protinus opera data eſt per Catholicos Epiſcopos, præcipue per ſanctæ memoriæ Auguſtinum, vt illa omnium condemnatio, memorati principis dimitteretur indulgentia. Et Domino adiuuante, perfectum eſt. Qua diligentia & ſancto ſtudio multum creuit ſancta Eccleſia.

CAP. XIII.

Collatio Catholicorum cũ Donatiſtis apud Carthaginem.

ET de his omnibus, pro pace Eccleſiæ geſtis, Auguſtino Dominus & hic palmam dedit, & apud ſe iuſtitiæ coronã reſeruauit: ac ſic magis magisq; iuuante Chriſto, de die in diem augebatur, & multiplicabatur pacis vnitas, & Eccleſiæ Dei fraternitas. Et id maxime factum eſt poſt Collationem, quæ ab vniuerſis Epiſcopis catholicis apud Carthaginem cum eiſdem Donatiſtarũ Epiſcopis poſtmodum facta eſt, adiuuãte glorioſiſſimo & religioſiſſimo Imperatore Honorio: propter quod perficiendum, etiam à ſuo latere Tribunum Marcellinum ad Africam iudicem miſerat. In qua controuerſia illi omnimodis confutati, atque de errore à catholicis conuicti, ſententia iudicis notati ſunt, & poſt eorum appellationem, pijſſimi regis reſponſo iuſte inter hæreticos condemnati ſunt. Ex qua ratione ſolito amplius eorum Epiſcopi, cum ſuis clericis & plebibus communicauerunt, & pacem tenentes catholicam, multas eorũ, qui catholicam aſpernabantur fidem, perſecutiones, vſque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, vt dixi, per ſanctum illum hominem Auguſtinum, conſentientibus coepiſcopis & pariter ſat agentibus, & cœptum, & perfectum eſt.

CAP.

CAP. XIIII.

PОrro autem quoniam poſt illam, quæ cum Donatiſtis facta eſt, Collationem, non defuerunt qui dicerent, permiſſos non fuiſſe eoſdem Epiſcopos apud poteſtatem, quæ cauſam audiuit, dicere omnia pro ſuis partibus, quoniam catholicæ communionis cognitor ſuæ fauebat Eccleſiæ: licet hoc deficientes & victi, ad excuſationem iactarẽt: quandoquidẽ & ante controuerſiam ijdem hæretici catholicæ communionis eundem eſſe nouerant, & cum ab eodẽ conuenirentur publicis geſtis, quod ad Collationem occurrerent, ſe eſſe facturos proſecuti ſunt. Poterant vtique ſuſpectum eum habentes recuſare congreſſum: tamen omnipotentis Dei præſtitit auxilium, vt poſtea in Cæſareenſi Mauritaniæ ciuitate conſtitutus venerabilis memoriæ Auguſtinus, quo eum venire cum alijs coepiſcopis Sedis Apoſtolicæ litteræ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Eccleſiæ neceſſitates. Hac ergo occaſione prouenit, vt Emeritum, eiuſdem loci Donatiſtarum Epiſcopum, quem ſuæ ſectæ præcipuum in illa Collatione habuerunt defenſorem, videret, & cum eodem publice in eccleſia, populo adſtante diuerſæ communionis, ex hoc ipſo diſputaret, & prouocaret geſtis Eccleſiaſticis: vt quod forte, ſicut dicebant, proſequi potuit in Collatione; ſed permiſſus nõ fuerat, in præſenti ſine alicuius poteſtatis prohibitione aut potentia, ſecurius dicere minime dubitaret, & in ſua ciuitate, ſuis omnibus præſentibus ciuibus, fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret. Ille nec hac hortatione, nec ſuorum parentum & ciuium inſtanti petione id facere voluit, qui ei pollicebantur ſe ad eius redituros cõmunionem, etiam cum diſcrimine patrimoniorum, ſalutiſq. ſuæ temporalis, ſi modo catholicam ſuperaret aſſertionem. At ille amplius dicere illis geſtis nihil voluit, nec valuit, niſi tantum, Iam illa, inquit, geſta continentur apud Carthaginem

Nota auctoritatẽ Rõ. Põtificis.

Emeritus hæreticus vincitur.

nem inter Epiſcopos confecta, vtrum vicerimus, an victi fuerimus. Et dum à notario alio loco, vt reſponderet, admoneretur & reticeret, eius cunctis manifeſtata diffidentia, Eccleſiæ Dei augmenta ac firmamenta prouenerunt. Quiſquis ergo diligentiam & operam beatiſſimæ memoriæ Auguſtini pro Eccleſiæ Dei ſtatu cognoſcere plenius voluerit, etiam illa percurrat geſta: & inueniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem & prædicatum hominem prouocarit, hortatusque fuerit, vt pro ſuæ defenſione partis, quod vellet ediceret, illumque victũ cognoſcet.

CAP. XV.

SCio item non ſolum ipſe Poſſidius præſul, qui vitam hanc conſcripſi, verum etiam alij fratres & conſerui, qui nobiſcum tunc intra Hipponenſem eccleſiam cum eodem ſancto viro viuebant, nobis pariter ad menſam conſtitutis eum dixiſſe: Aduertiſtis hodie in eccleſia meum ſermonem, eiusque initium & finem contra meam conſuetudinem proceſſiſſe: quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam propoſueram, ſed pendentẽ reliquerim? Cui reſpondimus: Ita nos in tempore miratos fuiſſe & ſcimus, & recognoſcimus. At ille: Credo, ait, quòd forte aliquem errantem in populo Dominus per noſtram obliuionem & errorem doceri & curari voluerit, in cuius manu ſunt & nos & ſermones noſtri. Nam cum propoſitæ quæſtionis latebras pertractarem, in alium ſermonis excurſum perrexi, atque ita non concluſa vel explicata quæſtione, diſputationem terminaui, magis aduerſum Manichæorum errorem, vnde nihil dicere decreueram, diſputans, quàm de ijs, quæ aſſerere propoſueram. Et poſt hæc, niſi fallar, ecce alio die vel poſt biduum venit quidam, Firmus nomine, negociator, & intra monaſterium ſedente ſancto Auguſtino coram nobis, ad pedes eius genibus prouolutus, ſeſe iactauit, lacrymas fundens, & rogans, vt pro eius delictis ſacer-

dos cum

dos cum ſuis Dominum deprecaretur, confitens quòd Manichæorum ſectam ſecutus fuiſſet, & in ea quamplurimis annis vixiſſet, & propterea pecuniam multam ipſis Manichæis, vel eis, quos dicunt electos, incaſſum erogaſſet: ac ſe in Eccleſia per Dei miſericordiam fuiſſe eius tractatibus nuper correctum, atque catholicum factum. Quod & ipſe venerabilis Auguſtinus, & nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potiſſimum in illo tractatu ſibi fuerit ſatisfactum, & referente eo, nobiſque omnibus ſermonis ſeriem recognoſcentibus, profundum conſilium Dei pro ſalute animarum admirantes & ſtupentes, glorificauimus ſanctum eius nomen, & benediximus: qui cum voluerit, & vnde voluerit, & quomodo voluerit, & per ſcientes, & per neſcientes animarum operatur ſalutem. Ex eo ille homo propoſito ſeruorum Dei adhærens, negociatoris dimiſit actionem, & proficiens in Eccleſiæ membris, in alia regione ad presbyterij quoque Dei voluntate petitus & coactus officium acceſſit, tenens atque cuſtodiens propoſiti ſanctitatem: & forte adhuc vſque nunc in rebus humanis viuit trans mare conſtitutus.

Manichæus cõuertitur eius cõcione, nõ ſine miraculo.

C A P. XVI.

APud Carthaginem quoque, dum per quendam domus regiæ procuratorem, nomine Vrſum, fidei catholicæ hominem, ad quoſdam Manichæorum, quos electos vel electas dicunt, blaſphemis operibus præſentes peruenirentur, atque ad eccleſiam ab eodem deducerentur, & perducerentur ab Epiſcopis, ad tabulas auditi ſunt. Inter quos etiam ſanctæ memoriæ Auguſtinus fuit, qui præ cæteris illam execrabilem ſectam nouerat, & eorum prodens eiuſmodi damnabiles blaſphemias, ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, vſque ad confeſſionem earundem blaſphemiarũ eos ꝑduxit: & quæ inter ſe illi ſuo more malo indigna & turpia facere conſueuerunt, à feminarum illarũ

velut electarum proditione, illis eccleſiaſticis geſtis declaratum eſt. Atque ita paſtorum diligentia Dominico gregi & augmentum acceſſit, & aduerſus fures atque latrones defenſio competens procurata eſt. Cum quodam etiam Felice de numero corũ quos electos dicunt, ijdem Manichæi, quiq́. Hipponem venerat, eundem ſeminaturus errorem, publice in Hipponenſi eccleſia notarijs excipientibus diſputauit beatus Auguſtinus, populo adſtante, & poſt ſecundam vel tertiam collationem ille Manichæus, fruſtrata vanitate & errore illius ſectæ, ad noſtram conuerſus eſt fidem atque Eccleſiã, ſicut eadem relecta docere poterit ſcriptura.

Felix manichęus conuertitur.

CAP. XVII.

PRæterea cum quodam etiam Paſcentio, Comite domus regiæ Ariano, qui per auctoritatem ſuæ perſonæ fiſci vehementiſſimus exactor, fidem catholicam atrociter ac iugiter oppugnabat, & quamplurimos ſacerdotes Dei, ſimpliciori fide viuentes, dicacitate ac poteſtate exagitabat & perturbabat, præſentibus honoratis & nobilibus viris, apud Carthaginem, ab illo prouocatus, coram contulit. Sed idem hæreticus tabulas atque ſtylum, quod magiſter noſter & ante congreſſum & in congreſſu inſtantiſſime fieri volebat, vt adeſſent omnimodo recuſauit: & dum id pernegaſſet, dicens quòd legum metu publicarum periclitari tabulis ſcriptis nollet: interpoſitis ſtylo & tabulis, Auguſtinus Epiſcopus cum ſuis, qui aderant, conſacerdotibus id placere videret, vt abſque vlla ſcriptura priuatim diſputarent, collationem ſuſcepit, prædicens quod poſtmodum contigit, quòd poſt ſolutum conuentum eſſe cuiquam poſſet liberum forte dicere, nullo ſcripturæ documento ſe dixiſſe, quod forte non dixerit, vel non dixiſſe, quod dixerit. Et ſic miſcuit cum eodẽ ſermonem, atque aſſeruit quid crederet: & ab illo, quid teneret, audiuit, & vera ratione atque auctoritate ſcripturarum probata docuit & oſtendit

ſtendit noſtræ fidei firmaměta: Illius autem aſſerta, nulla veritate nulla ſcripturarum ſanctarum auctoritate ſuffulta docuit & fruſtrauit. Et vt à ſe inuicem partes digreſſæ ſunt, ille magis magiſque iratus & furens, mendacia multa pro fide ſua falſa iactabat, victum eſſe à ſeipſo proclamans, multorum ore laudatum Auguſtinum. Quæ cum illum venerabilem virum minime laterent, coactus eſt ad ipſum ſcribere Paſcentium, propter illius metum omiſſis nominibus conferentium: & in eis litteris, quicquid inter partes dictum vel geſtum fuerat, fideliter intimauit, ad ea, ſi negarentur, probanda magnam teſtium habens copiam, clariſſimos ſcilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque ille ad duo ſibi directa ſcripta, vnum vix reddidit reſcriptũ: in quo magis iniuriam facere, quàm ſuæ ſectæ rationem valuit declarare. Quod à volentibus & à valentibus legere cõprobatur. Cum ipſorum quoque Arrianorum Epiſcopo quodam Maximino, cum Gotthis ad Africam veniente, apud Hipponẽ quampluribus volentibus atque petentibus, & præclaris interpoſitis viris, contulit, & quid ſingulæ aſſeruerint partes, ſcriptum eſt. Quæ ſi ſtudioſi diligenter legere voluerint, proculdubio indagabunt, & quid callida & irrationabilis hæreſis ad ſeducendum & decipiendũ profiteatur, & quid Eccleſia catholica de diuina teneat & prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de ſua multa in collatione loquacitate victorem ſe de ipſa collatione receſſiſſe iactauit, & mentitus eſt, quæ vtique non facile à diuinæ legis ignaris examinari & dijudicari poſſent: à venerabili viro Auguſtino ſequenti tempore ſtylo, & illius totius collationis de ſingulis obiectis & reſponſis facta eſt recapitulatio: & quàm nihil ille obiectis referre & reſponſis contradicere potuerit, nihilominus demonſtratum eſt, additis ſupplementis, quæ in tempore collationis anguſto cuncta inferri & ſcribi minime potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, vt ſua nouiſſima proſecutione multum longiſſima, totum, quod

Impudens Paſcentij mendaciũ.

Diſputat cum Maximino S. Auguſtin.

ſtendit remanſerat, diei ſpatium occuparet.

CAP. XVIII.

ADuerſus Pelagianiſtas quoque, nouos noſtrorum tẽporum hæreticos & diſputatores callidos, arte magis ſubtili noxia ſcribentes, & vbicunque poterant, publice & per domos loquentes, per annos ferme decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in eccleſia populis ex eodem errore frequentiſſime diſputans. Et quoniam ijdem peruerſi Sedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandẽ perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſſime etiam concilijs Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, vt ſancto Papæ vrbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zozimo eius ſucceſſori perſuaderetur, quàm illa ſecta à catholica fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ Sedis Antiſtites, ſuis diuerſis temporibus eoſdem notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis litteris ad Africanas, Orientis & Occidentis eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus catholicis conſueuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ catholicæ prolatum iudicium, etiam pijſſimus Imperator Honorius audiens ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit. Vnde nonnulli ex eis, ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium, vnde reſilierant, redierunt, & adhuc alij redeunt, innoteſcente & præualeſcente aduerſus illum deteſtabilem errorem rectæ fidei veritate. Et erat ille memorabilis vir Auguſtinus, præcipuum Dominici corporis membrum, circa vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem ſolicitus ſemper ac peruigil. Et illi diuinitus donatum eſt, vt de ſuorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere proueniſſet: prius quidem in Hipponenſi eccleſia & regione, cui maxime præſidebat vnitate ac pace perfecta: deinde in alijs Africæ partibus, ſiue per ſeipſum, ſiue per alios, & quos ipſe dederat ſacerdotes pullulaſſe, & multiplicatam fuiſſe Domini

Pelagiani damnantur à Rom. Põtificibus.

mini

mini Eccleſiam peruidẽs, illosque Manichæos, Donatiſtas, Pelagianiſtas & Paganos ex magna parte defeciſſe, & Eccleſiæ Dei ſociatos eſſe congaudens. Profectibus quoque & ſtudijs fauens erat & exultans bonorum omnium, indiſciplinationem pie ac ſancte tolerans fratrum, ingemiſcensq. de iniquitatibus malorum, ſiue eorum, qui intra Eccleſiã, ſiue eorum, qui extra Eccleſiam ſunt conſtituti, Dominicis, vt dixi, lucris ſemper gaudens, & damnis mœrens.

Tanta autem ab eodem dictata & edita ſunt, tantaque in Eccleſia diſputata, excepta atque emendata, vel aduerſus diuerſos hæreticos conſcripta, vel ex canonicis libris expoſita ad ædificationem ſanctorum Eccleſiæ filiorum, vt ea omnia vix quiſquam ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat. Veruntamen ne veritatis auidiſſimos in aliquo fraudare videamur, ſtatui, Deo præſtante, in huius opuſculi fine etiam eorundem librorum, tractatuum & epiſtolarum indiculum adiungere. Quo lecto, qui magis Dei veritatẽ, quàm temporales amant diuitias, ſibi quiſque, quod voluerit, ad legendum & cognoſcendum eligat, & id ad ſcribendum vel de Bibliotheca Hipponenſis eccleſiæ petat, vbi emendatiora exemplaria forte potuerit inuenire: vel vnde valuerit inquirat, & inuenta deſcribat & habeat, & petenti ad ſcribendum, ſine inuidia etiam ipſe tribuat. Magna ſcriptorum & operum eius copia.

CAP. XIX.

SEcundum Apoſtoli quoque ſententiam, dicentis: Audet quiſquam veſtrum aduerſus alterum negocium habens, iudicari ab iniquis, & non apud ſanctos? An neſcitis, quia ſancti mundum iudicabunt? Et ſi in vobis iudicatur mundus, indigni eſtis iudiciorum minimorum? Neſcitis quia Angelos iudicabimus, nedum ſecularia? Secularia igitur iudicia ſi habueritis inter vos, eos qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis loquor. Sic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, 1.Cor.6.

piens, qui poſſit inter fratrem ſuum dijudicare, ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Interpellatus ergo beatus Auguſtinus à Chriſtianis, vel à cuiuſcunque ſectæ hominibus, cauſas audiebat diligenter ac pie: cuiuſdam vero ſententiam ante oculos habens, dicentis ſe malle inter incognitos, quàm inter amicos cauſas audire: eo quòd de incognitis, pro quo arbitrata æquitate iudicaretur, amicum poſſet acquirere: de amicis vero vnum eſſet, contra quem ſententia proferretur, perditurus. Et eas aliquando vſque in horam refectionis, aliquando autem tota die ieiunans, ſemper tamen noſcebat & dirimebat, intendens in eis Chriſtianorum momenta animorum, quantum quiſque vel in fide bonisq. operibus proficeret, vel ab ijs deficeret: atque compertis rerum opportunitatibus, diuinæ legis veritate partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos quo adipiſcerentur vitam æternam, edocebat & admonebat: nihil aliud quærens ab ijs, quibus ad hoc vacabat, niſi tantum obedientiam & deuotionem Chriſtianam, quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, vt cæteri timorem haberent. Et faciebat hoc tanquam ſpeculator à Domino conſtitutus domui Iſrael, prædicans verbum, atque inſtans opportune, importune, arguēs, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina, præcipueque operam dans inſtruere eos, qui eſſent idonei & alios docere. Rogatus quoque à nonnullis, in eorum tēporalibus cauſis, epiſtolas ad diuerſos dabat. Sed hanc ſuā à melioribus rebus occupationem tanquàm angariam deputabat: ſuauem ſemper habens de ijs, quæ Dei ſunt, vel allocutionem, vel collationem fraternæ ac domeſticæ familiaritatis.

Audit cauſas omniū accurate & pie.

1. Tim. 4.

CAP. XX.

NOuimus quoque eum, à ſuis chariſſimis litterarum interceſſum apud ſeculi poteſtates poſtulatum, non de-

diſſe

iſſe, dicentem, cuiuſdam ſapientis ſeruandam eſſe ſentẽ-iam, de quo ſcriptum eſſet, quòd multa ſuæ famæ contem-latione amicis nõ præſtitiſſet: Illud nihilominus ſuum ad-ıens, quoniam plerunque poteſtas, quæ præſtat, premit. Cum vero intercedendum eſſe rogatus videbat, tam id ho-neſte ac tẽperate agebat, vt nõ ſolum oneroſus ac moleſtus non videretur, verumetiam mirabilis exiſteret. Nam dum exortâ neceſſitate ſuo more apud quendam Africæ vicariũ, nomine Macedonium, pro ſupplice litteris interueniſſet, atque ille paruiſſet, hoc modo reſcriptum tranſmiſit: Miro modo afficior ſapientia tua, & in illis, quæ edidiſti, & in ijs, quæ interueniens pro reis mittere non grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, ſcientiæ & ſanctitatis, vt nihil ſupra ſit: & hæc tantum verecundiæ, vt niſi faciam, quod mandas, culpam penes me remanere, non in negocio eſſe, dijudicem, domine merito venerabilis & vere * ſuſci-piende pater. Non enim inſtas, (quod plerique homines iſtius loci faciunt) vt quodcunque ſolicitus petitor volue-rit, extorqueas: ſed quod tibi à iudice tot curis obſtricto petibile viſum fuerit, admones, & rogas ſubſeruiente ve-recundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia eſt. Proinde ſtatim commendatis effectum deſiderij tribui. Nam ſperandi viam ante patefeceram.

Vt pro alijs interceſſerit.

Epiſt. 51.

*Suſpicien de.

CAP. XXI.

Sanctorum concilia ſacerdotum, per diuerſas prouin-cias celebrata, cum potuit, frequentauit, non in eis quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quærens, vt vel fides ſanctæ Eccleſiæ catholicæ inuiolata maneret, vel nonnulli ſacer-dotes & clerici, ſiue per fas, ſiue per nefas excommunica-ti, vel abſoluerentur, vel abijcerentur. In ordinandis ve-ro ſacerdotibus & clericis, conſenſum maiorem Chriſtia-norum, & conſuetudinem Eccleſiæ ſequendam eſſe, arbi-trabatur.

CAP.

CAP. XXII.

Eius victus & veſtitus. VEſtis eius & calceamenta & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: quia his plerunque vel iactare ſe inſolenter homines ſolent, vel abijcere, ex vtroque non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, ijdem quærentes. At iſte beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neq. in ſiniſtram declinans. Menſa vſus eſt frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando, propter hoſpites vel quoſque infirmiores, continebat. Semper autem vinum habebat, quanuis modice & temperanter, quia nouerat & docebat, vt Apoſtolus dicit, quod omnis creatura Dei bona ſit, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbũ Dei & orationem. Et vt idem Auguſtinus in ſuis Confeſſionum libris poſuit, dicens: Non ego immunditiam obſonij timeo, ſed immunditiam cupiditatis. Scio enim Noe omne genus carnis quod cibo eſſet vſui, manducare permiſſum, Eliam cibo carnis refectum, Iohannem mirabili abſtinentia præditum, animalibus, hoc eſt, locuſtis in eſcam cedentibus, non fuiſſe pollutum. Scio & Eſau lenticulæ concupiſcentia deceptum, & Dauid propter aquæ deſiderium à ſeipſo reprehenſum, & regem noſtrum, non de carne, ſed de pane eſſe tentatum. Ideoque & populus in eremo, nõ quia carnes deſiderauit, ſed quia eſcæ deſiderio contra Deum murmurauit, meruit improbari. De vino autem ſumendo Apoſtoli extat ſententia, ad Timotheum ſcribentis ac dicentis: Noli vſque adhuc aquam bibere, ſed vino modico vtere propter ſtomachum & frequentes tuas infirmitates. Cochlearibus tantum argenteis vtens, cætera vaſa, quibus menſæ inferebantur cibi, vel teſtea, vel lignea, vel marmorea erant: non tamen neceſſitatis inopia, ſed propoſito voluntatis. Sed & hoſpitalitatem ſemper exhibuit.

[Margin notes: 1.Tim.4. — lib.10.c.31 — Gen.9. — 3 Reg 17. — Gen 25. — 2 Reg. 23. — Matth.4. — 1.Tim.5.]

Et in

Et in ipſa menſa magis lectionem vel diſputationem, quàm epulationem potationemq́ue diligebat: & contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis, in ea ita ſcriptum habebat:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Et ideo omnem conuiuam à ſuperfluis & noxijs fabulis, & detractionibus ſeſe abſtinere debere admonebat. Nam & quoſdam familiariſſimos coepiſcopos illius ſcripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aſpere aliquando reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe de media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Quod ego & alij, qui illi menſæ interfuimus, experti ſumus.

CAP. XXIII.

PAuperum vero ſemper memor erat, eiſq́ue inde erogabat, vnde & ſibi ſuiſq́ue omnibus ſecum habitantibus erogabatur, hoc eſt, vel ex redditibus poſſeſſionum eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte, vt aſſolet, de poſſeſſionibus ipſis inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem DEI, malle ſe ex collationibus plebis Dei viuere, quàm illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati, & paratum ſe eſſe illis cedere, vt eo modo omnes Dei ſerui & miniſtri viuerent, quo in veteri teſtamento leguntur altari deſeruientes, de eodem participari. Sed nunquàm id laici ſuſcipere voluerunt.

CAP. XXIIII.

DOmus eccleſiæ curam, omnemq́. ſubſtantiam, ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat: Nunquam clauem, nunquam annulum in manu habens: ſed ab

eiſdem domus Præpoſitis cuncta & accepta, & erogata notabantur. Quæ anno completo eidem recitabantur, quò ſciretur, quantum acceptum, quantumque diſpenſatum fuiſſet, vel quicquid indiſpenſatum vel diſpenſandum remāſiſſet: & in multis titulis magis illius præpoſiti domus fidem ſequēs, quàm probatū manifeſtatūque cognoſcens. Domū vero, vel agrum, ſeu villam nunquam emere voluit. Verū ſi forte eccleſiæ à quoquam ſponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non reſpuebat, ſed ſuſcipi iubebat. Nam & aliquas eum hæreditates recuſaſſe, nouimus, non quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam iuſtum & æquum eſſe videbat, vt à mortuorum vel filijs vel parentibus vel affinibus magis poſſiderentur, quibus, ab eis deficientes, dimittere noluerunt. Quidam etiā ex honoratis Hipponenſium, apud Carthaginem viuens, eccleſiæ Hipponenſi poſſeſſionem donare voluit, & confectas tabulas, ſibi vſufructu retento, vltro eidem ſanctæ memoriæ Auguſtino miſit. Cuius ille oblationem libenter accepit, congratulans ei, quòd æternæ ſuæ memor eſſet ſalutis. Verum poſt aliquot annos, nobis forte cum eodem cominus conſtitutis, ecce ille donator litteras per filium ſuū mittens, rogauit vt illæ donationum tabulæ ſuo filio redderentur, pauperibus vero erogandos direxit ſolidos centū. Quo ille ſanctus cognito, ingemuit, hominem vel finxiſſe donationem, vel eum de bono opere pœnituiſſe, & quanta potuit, Deo ſuggerente cordi eius, condolente animo ex eadem refragatione dixit, in illius ſcilicet increpationem & correctionem: Et tabulas, quas ille ſponte miſerat, nec deſideratas, nec exactas, confeſtim reddidit, pecuniamque illam reſpuit: atque reſcriptis eundem, ſicut oportuit, & arguit & corripuit, admonens, vt de ſua ſimulatione vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo ſatisfaceret, ne cū tam graui delicto de ſeculo exiret. Frequentius quoque dicebat ſecurius ac tutius eccleſiam legata à defunctis dimiſſa debere ſuſcipere, quàm hæreditates forte ſolicitas & damnoſas,

Donata vel legata Eccleſiæ non reſpuebat.

noſas, ipſaſque legata magis offerenda eſſe, quàm exigenda. Commendata vero quæque ipſe non ſuſcipiebat, ſed volentes ſuſcipere clericos non prohibebat. In his quoque quæ eccleſia habebat & poſſidebat, intentus amore, vel implicatus cupiditate non erat: ſed maioribus magis & ſpiritalibus ſuſpenſus & inhærens rebus, vix aliquando ſeipſum ad iſta temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat & deponebat. Quibus citiſſime ille diſpoſitis & ordinatis, tãquàm à rebus mordacibus & moleſtis, animi recurſum ad interiora mentis & ſuperiora faciebat, quo vel de inueniẽdis diuinis rebus cogitaret, vel de iam inuentis aliquid dictaret, aut certe ex iam dictatis atque tranſcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans. Et erat tanquam illa religioſiſſima Maria, typum geſtans ſupernæ Eccleſiæ, de qua ſcriptum eſt, quòd ſederet ad pedes Domini, atque intenta verbum eius audiret: De qua ſoror conqueſta, quòd ab eadem circa multum miniſterium occupata non adiuuaretur, audiuit: Martha Martha, ſolicita es: Elegit optimam partem Maria, quæ non auferetur ab ea. Nam fabricarum nouarum nunquam ſtudium habuit, deuitans in eis implicationem ſui animi, quẽ ſemper liberum habere volebat ab omni moleſtia temporali. Non tamen illas volentes & ædificantes prohibebat, niſi tantum immoderatos. Interea dum eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denunciabat, non ſe habere, quod indigentibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes, frangi & conflari iubebat, & indigentibus diſpenſari. Quod non commemoraſſem, niſi contra carnalem ſenſum quorũdam fieri peruiderem. Et hoc ipſum etiam venerabilis memoriæ Ambroſius in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum & dixit, & ſcripſit. Sed & inde de neglecto à fidelibus gazophylacio & ſecretario, vnde altari neceſſaria inferuntur, aliquando in eccleſia loquens admonebat: quod etiam beatiſſimum Ambroſium, ſe præſente,

Vide quib* rebus animum occuparit ſuũ.

Luc. 10.

Ambroſ. Officio li. 2. cap. 18.

 in ec-

in eccleſia tractauiſſe, nobis aliquando retulerat.

CAP. XXV.

CVm ipſo ſemper clerici, vnà etiam domo ac menſa, ſumptibusq́ue communibus alebantur, & veſtiebantur. Et ne quiſquam facili iuratione etiam ad periurium decidiſſet, & in eccleſia populo prædicabat, & ſuos inſtituerat, ne quis iuraret, nec ad modicum quidem. Quòd ſi prolapſus fuiſſet, vnam de ſtatutis perdebat potionem. Numerus enim erat ſuis ſecum commorantibus & conuiuantibus poculorum præfixus. Indiſciplinationes quoque & tranſgreſſiones ſuorum à regula recta & honeſtate, & arguebat, & tolerabat, quantum decebat & oportebat: in talibus præcipue docens, ne cuiuſquam cor declinaretur in verba maligna ad excuſandas excuſationes in peccatis. Docebat ibidem, dum quiſque offerret munus ſuum ad altare, & illic recordatus fuiſſet, quòd frater ſuus haberet aliquid aduerſus illum, relinquendum eſſe munus ante altare, atq. eundem fratrem eſſe reconciliandum: & tunc veniendum, & munus ad altare offerendum. Si vero ipſe aduerſus fratrem ſuum aliquid haberet, corripere eum debere in parte: & ſi eum audiſſet, lucratus eſſet ſuum fratrem: ſi minus, adhibendum eſſe vnum aut duos. Quòd ſi & ipſos contẽneret, Eccleſiam adhibendam. Si vero & huic non obediret, eſſet illi vt ethnicus & publicanus. Et illud addens, vt fratri peccanti et veniam petenti, non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties delictum relaxetur, ſicut quiſque à Domino quotidie ſibi poſtulat relaxari.

Pœna iurantis.

Nota de certo numero hauſtuum.

Pſal. 140.

Matt. 5.

Matt. 18.

CAP.

CAP. XXVI.

FEminarum autem intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror: quæ vidua Deo ſeruiens, multo tempore vſque in diē obitus ſui præpoſita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſeruiebant: Quas perſonas ſanctorum Epiſcoporū concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat vero, quia etſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus, nulla naſci poſſit mala ſuſpicio; tamen quoniam illæ perſonæ ſine alijs neceſſarijs ſecumque manentibus feminis eſſe non poſſent, & quòd ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de ijs poſſe offendiculum aut ſcandalum infirmioribus naſci, & illos, qui cum Epiſcopo vel quolibet clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum perſonis vnà commorantibus, aut aduentantibus, tentationibus humanis poſſe perire, aut certe malis hominum ſuſpicionibus peſſime diffamari: ob hoc ergo dicebat, nunquam debere, feminas cum ſeruis Dei etiam caſtiſſimis, in vna manere domo, ne, vt dictum eſt, aliquod ſcandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et ſi forte ab aliquibus feminis, vt videretur vel ſalutaretur, rogabatur, nunquam ſine clericis teſtibus ad eum intrabāt, vel ſolus cum ſolis vnquam eſt locutus, nec ſi ſecretorum aliquid intereſſet. Nullā apud ſe feminā patitur.

CAP. XXVII.

IN viſitationibus vero modum tenebat ab Apoſtolo definitum, vt non niſi pupillos & viduas in tribulationibus conſtitutas viſitaret. Et ſi forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præſenti Deum rogaret, eiſque manus imponeret, ſine mora pergebat. Feminarum autem Iacob.1. Officium erga deſtitutos & ægros.

tem monſteria non niſi vrgentibus neceſſitatibus viſitabat. Seruandum quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in inſtitutis ſanctæ memoriæ Ambroſij compererat: vt vxorem cuiquam nunquam poſceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in ſua patria petitus iret ad conuiuium: De ſingulis rebus præſtans cauſas, ſcilicet, ne, dum inter ſe coniugati, caſu iurgarent, ei maledicerent, per quem coniuncti eſſent. Sed plane ad hoc ſibi iam illis conſentientibus petitum intereſſe debere affirmabat ſacerdotem, vt vel eorum iam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus ac male agens, ſuam culpam ſuffragatori tribueret. Et ne per frequentiam conuiuiorum, temperantiæ amitteretur modus. Indicauerat quoque nobis, ſe prædicti beati viri Ambroſij in vltimo vitæ conſtituti audiſſe ſapientiſſimum & pijſſimum reſponſum, & multum laudabat ac prædicabat. Nam cum ille, inquit, venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis, lecto eius adſtantibus, & vidētibus eum de ſeculo migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus, tanti ſcilicet ac talis antiſtitis morte eccleſiam poſſe priuari verbi, & ſacramenti Dei diſpenſatione, cum lachrymis rogaretur, vt ſibi à Domino vitæ poſceret commeatum, eum illis dixiſſe: Non ſic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et hæc noſter Auguſtinus ſenex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Ideo enim eum dixiſſe intelligendum eſt, nec mori timeo, quia bonum Dominum habem⁹, ne crederetur præſidens de ſuis purgatiſſimis moribus præſumpſiſſe. Non ſic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: Hoc dixerat ad illud, qđ homines de homine noſſe poterant. Nam ſciens examē æquitatis diuinæ, de bono Domino ſe dicebat magis, quàm de meritis ſuis, confidere, cui etiam in oratione quotidiana dicebat: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Cuiuſdam quoque coepiſcopi & familiariſſimi

Memorabilis ſentētia S. Ambroſij.

riſſimi ſui amici, in extremis vitæ de talibus frequentiſſimum referebat dictum: ad quem quum viſitandum iam morti appropinquantem ventitaſſet, & ille manuum geſtu ſe de ſeculo exiturum ſignificaret, atque à ſe illi eſſet reſponſum, ad huc eum Eccleſiæ neceſſarium viuere poſſe, illum, ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate, reſpondiſſe ei: Si nunquam, bene: Si aliquando, quare non modo? Et talem ſententiam mirabatur & laudabat hominem protuliſſe, Deum quidem timentem, veruntamen in villa natum & nutritum, ſed non multa lectionis eruditum ſcientia. Illud etiam cuiuſdam ægrotantis dictum afferebat Epiſcopi, de quo ſanctus in epiſtola ſua, quam de mortalitate ſcripſit martyr Cyprianus ita retulit, dicens: Cum quidam de collegis & conſacerdotibus noſtris infirmitate defeſſus, & de appropinquante morte ſolicitus, commeatum ſibi precaretur, adſtitit deprecanti: & iam pene morienti iuuenis, honore & maieſtate venerabilis, ſtatura celſus, & clarus adſpectu, & quem adſtantem ſibi vix poſſet humanus adſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quòd talem videre iam poterat de ſeculo receſſurus. Atque ille non ſine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vobis? Serm. de Mortalitate.

CAP.

CAP. XXVIII.

ANte proximum vero diem infirmitatis obitus ſui, à ſe dictatos & editos recenſuit libros, ſiue eos, quos primo tempore conuerſionis ſuæ ad huc laicus, ſiue quos presbyter, ſiue quos Epiſcopus dictauerat: & quæcumque in his recognouit aliter, quàm ſeſe haberet eccleſiaſtica regula, à ſe fuiſſe dictata & ſcripta, cum ad huc Eccleſiaſticum vſum minus ſciret, minuſque intelligeret, à ſemetipſo & reprehenſa & correcta ſunt. Vnde etiam duo conſcripſit volumina, quorum eſt titulus, De Retractatione, vel recenſione librorum. Præreptos etiam ſibi quoſdam libros ante diligentiorem emendationem à nonnullis fratribus conquerebatur, licet, eos poſtmodum emendaſſet. Imperfecta etiam quædam librorum ſuorum, præuentus morte, reliquit. Quique prodeſſe omnibus volens, & volentibus multa librorum legere, & non valentibus, ex vtroque diuino teſtamento veteri & nouo, præmiſſa præfatione, præcepta diuina ſeu vetita, ad vitæ regulam pertinentia, excerpſit, atque ex his vnum codicem fecit: vt qui vellet, legeret: atque in eo, vel quam obediens Deo, inobediens ve eſſet, agnoſceret, & hoc opus voluit Speculum appellare. Verum breui conſequenti tempore diuina voluntate & poteſtate prouenit, vt manus ingens, diuerſis telis armata & bellis exercitata; immanium hoſtium Vandalorum & Alanorum, commixtam ſecum habentes Gotthorum gentem, aliarumque diuerſarum gentium perſonas, ex Hiſpaniæ partibus tranſmarinis nauibus Africæ influxiſſet & irruiſſet, vniuerſaque per loca Mauritaniarum, etiam ad alias noſtras tranſiens prouincias & regiones, omni ſæuiens crudelitate & atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatione, cædibus, diuerſiſque tormentis, incendijs, alijſque innumerabilibus infandis malis depopulata eſt, nulli ſexui, nulli parcens ætati, nec ipſis Dei ſacerdotibus vel miniſtris, nec

Scribit libros Retractationũ.

Speculum: Tomo. 3.

Barbarorũ irruptiões.

Idẽ faciunt hodie hæretici.

ipſis eccleſiarum ornamentis, ſeu inſtrumentis, vel ædifi-
cijs. Et hanc ferociſſimam hoſtium graſſationem & vaſta-
tionem ille homo Dei, & factam fuiſſe & fieri, non vt cæte-
ri homines, ſentiebat & cogitabat: ſed altius & profundi-
us eam conſiderans, & in hac animarum præcipue vel pe-
ricula, vel mortes præuidens, ſolito amplius (quoniam,
vt ſcriptum eſt, Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem. Eccl. 1.
& Cor intelligens, quaſi tinea oſſibus) fuerunt ei lacry-
mæ panes die ac nocte, amariſſimamque & lugubrem præ
cæteris ſuæ ſenectutis iam pene extremam ducebat ac tole-
rabat vitam. Videbat enim ille homo DEI ciuitates ex-
cidio perditas pariter cum ædificijs, villarumque habitato-
res alios hoſtili nece extinctos, alios effugatos atque Cõfer hoc
diſperſos, Eccleſias ſacerdotibus ac miniſtris deſtitutas, cũ noſtris
virginesque ſacras & quoſque continentes vbique diſſipa- tẽporibus.
tos: & in his alios defeciſſe tormentis, alios gladio inte-
remptos eſſe: alios in captiuitate, perdita animi & corpo-
ris integritate ac fidei, malo more ac duro hoſtibus deſer-
uire: hymnos DEI & laudes ab eccleſijs deperiſſe, ædificia
eccleſiarum quamplurimis locis ignibus concremata eſſe:
ſolennia quoque, quæ DEO debentur, de proprijs locis
defeciſſe: ſacrificia ac ſacramenta diuina vel non quæri, vel
quærenti qui tradat, non facile reperiri: in ipſas montium
ſiluas & cauernas petrarum & ſpeluncas confugientes, vel
ad quaſcunque munitiones: alios fuiſſe expugnatos & * in- * Interce-
terfectos, alios neceſſarijs ſuſtentaculis euolutos atque pri ptos.
uatos, vt fame contabeſcerent: ipſoſque eccleſiarum præpo
ſitos & clericos, qui forte DEI beneficio vel eos non in-
currerant, vel incurrentes euaſerant, rebus omnibus ex-
poliatos atque nudatos, egentiſſimos mendicare, nec ijs
omnibus ad omnia, quibus fulciendi eſſent ſubueniri poſſe: Poſtea etiã
Vix tres ſuperſtites ex innumerabilibus eccleſijs, hoc eſt, has eccle-
Carthaginenſem, Hipponenſem & * Circenſem quæ ſias Barba-
Dei beneficio exciſæ non ſunt, & earum permanent ci- ri Ariani occuparũt.
uitates, & diuino & humano fultæ præſidio, licet poſt * Cirtenſẽ

eius obitum vrbs Hipponenſis incolis deſtituta, ab hoſtib⁹ fuerit concremata. Et ſe inter hæc mala ille homo Dei cuiuſdam ſapientis ſententia conſolabatur, dicentis: Non erit magnus, magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales. Hæc ergo omnia ille, vt erat altè ſapiens, quotidie vbertim flebat. Accreuitque mœroribus & lamentationibus eius, vt etiam adhuc eo in ſuo ſtatu conſiſtente, ad eandem Hipponenſium regionum ciuitatem ab iiſdem hoſtibus veniretur obſidendam. Quoniam in eius tunc defenſione erat conſtitutus Comes quidam Bonifacius cum Gotthorum quondam fœderatus exercitu, quam vrbem ferme quatuordecim menſibus concluſam obſederunt. Nam & litus illi marinum intercluſione abſtulerunt: Quo etiam noſipſi de vicino cum aliis noſtris coepiſcopis confugeramus, in eademque omni obſidionis tempore fuimus. Vbi nobiſcum ſuper his infortuniis ſæpiſſime colloquebamur, & DEI tremenda iudicia præ oculis noſtris poſita conſiderabamus,
Pſal. 118. dicentes: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Pariterque dolentes, gementes & flentes, orabamus miſerationum patrem & Deum omnis conſolationis, vt de eadem nos tribulatione ſubleuare dignaretur.

CAP.

CAP. XXIX.

ET forte prouenit, vt vna cum eodem ad menſam conſtitutis, & inde confabulantibus, cœperit coram nobis dicere: Noueritis me hoc tempore noſtræ calamitatis Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hoſtibus circundatam liberare dignetur; aut ſi aliud ei videtur, ſuos ſeruos ad perferendam ſuam voluntatem fortes faciat; aut certe, vt me de hoc ſeculo ad ſe accipiat. Quæ ille dicens, noſque inſtruens, deinceps cum eodem & nos cum noſtris omnibus, & ipſi, qui in eadem fuerant ciuitate, à ſummo Deo ſimiliter petebamus. Et ecce tertio illius obſidionis menſe decubuit lecto, febribus fatigatus, & illa vltima exercebatur ægritudine. Nec ſuum ſane Dominus famulum fructu ſuæ precis fraudauit. Nam & ſibijpſi, & eidem ciuitati, quod lacrymoſis depopoſcit precibus in tempore impetrauit. Noui quoque eundem & presbyterum & Epiſcopum pro quibuſdam energumenis petentibus, vt oraret, rogatum: eumque in oratione lacrymas fundentem, Deum rogaſſe, & dæmones ab hominibus receſſiſſe. Itemque ſcio ad eum ægrotantem & lecto iacentem, quendam cum ſuo ægroto veniſſe, & rogauiſſe, vt eidem manum imponeret, vt ſanus eſſe poſſet: eumque reſpondiſſe, ſi aliquid in his poſſet, ſibi hoc vtique primitus præſtitiſſet: & illum dixiſſe, viſitatum ſe fuiſſe, ſibique per ſomnium dictum eſſe, Vade ad Auguſtinum Epiſcopum, vt eidem manum imponat, & ſaluus erit. Quod dum comperiſſet, facere non diſtulit: & illum infirmum continuo Dominus ſanum ab eodem diſcedere fecit.

Aliquot S. Auguſtini miracula.

CAP. XXX.

INterea reticendum minime eſt, cum memorati impenderent hoſtes, à ſancto viro noſtro coepiſcopo Thabennenſis eccleſiæ Honorato, litteris fuiſſe conſultum, vtrumnam illis aduentantibus, ex eccleſijs Epiſcopis vel clericis recedendum eſſet, an non. Eique reſcriptis inſinuaſſe, quid magis ab illis euerſoribus eſſet metuendum. Quam eius epiſtolam huic ſcripturæ inſerere volui. Eſt enim ſacerdotum Dei & miniſtrorum moribus valde vtilis & neceſſaria. Iſto modo reſcriptum eſt ad eundem ab eodem: Sancto fratri & coepiſcopo Honorato, Auguſtinus in Domino ſalutem. Charitati tuæ miſſo exemplo epiſtolæ, quam fratri Quoduultdeo noſtro coepiſcopo ſcripſi, putabam me hoc onere caruiſſe, quod mihi impoſuiſti, quærendo conſilium, quid in his periculis, quæ in tempora noſtra venerunt, facere debeatis. Quamuis enim epiſtolam, &c.

Epiſt. 130.

CAP. XXXI.

SAne ille ſanctus in vita ſua prolixa, pro vtilitate ac felicitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ diuinitus condonata, vixit annis ſeptuaginta ſex: in clericatu autẽ vel Epiſcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autẽ nobis inter familiaria colloquia conſueuerat, poſt perceptum baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos & ſacerdotes, abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipſe fecit vltima, qua defunctus eſt, ægritudine. Nam ſibi iuſſerat Pſalmos Dauidicos, qui ſunt pauciſſimi, de pœnitentia ſcribi, ipſoſque quaterniones iacens in lecto contra parietem poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac vbertim flebat. Et ne intẽtio eius à quoquam impediretur, ante dies ferme

Nota de Pſalmis, quos pœnitẽtiales vocant.

decem

decem, quàm exiret de corpore, à nobis poſtulauit præſentibus, ne quis ad eum ingrederetur, niſi ijs tantùm horis, quibus medici ad inſpiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio. Et ita obſeruatum ac factum eſt, & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei vſque ad ipſam ſuam extremam ægritudinem, imprætermiſſe, alacriter & fortiter, ſana mente ſanoque conſilio in eccleſia prædicauit. Membris omnibus ſui corporis incolumis, integro ad ſpectu atque auditu, nobis adſtantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus obdormuit in pace cum patribus ſuis, enutritus in bona ſenectute; & nobis coram poſitis, pro eius commendanda corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt. Teſtamentum autem nullum fecit, quia vnde faceret, pauper Chriſti non habuit. Eccleſiæ Bibliothecam & omnes codices diligenter poſteris cuſtodiendos ſemper iubebat. Si quid vero eccleſia vel in ſumptibus, vel in ornamentis habuit, fideli presbytero, qui ſub eodem domus eccleſiæ curam gerebat, dimiſit. Nec ſuos conſanguineos vel in propoſito, vel extra conſtitutos in ſua vita & morte vulgi more tractauit. Quibus dum adhuc ſupereſſet, id, ſi opus fuit, quod & cæteris erogauit, non vt diuitias haberent, ſed vt aut non, aut minus egerent. Clerum ſufficientiſſimum & monaſteria virorum ac feminarum continentium cum ſuis præpoſitis plena eccleſiæ dimiſit, vna cum bibliotecis, libros & tractatus vel ſuos vel aliorum Sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantuſque in eccleſia fuerit, noſcitur, & in his ſemper viuere à fidelibus inuenitur: Iuxta quod etiam ſecularium quidam poetarum, ſuis iubens quo ſibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, pro epigrammate finxit, dicens:

Migrat ad Dominũ.

Sacrificiũ offertur ꝑ eo defuncto.

Nota de monaſterijs.

Viue-

Viuere poſt obitum vatem vis noſſe viator?
Quod legis, ecce loquor: vox tua, nempe mea eſt.

Et in ſuis quidem ſcriptis ille Deo acceptus & charus ſacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, rectæ ac ſanæ fidei, ſpei & charitatis catholicæ Eccleſiæ vixiſſe manifeſtatur. Quod agnoſcunt, qui eundem de diuinis ſcribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuiſſe, qui eum & loquentem in eccleſia præſentem audire, & videre potuerunt, & eius præſertim inter
Matt. 13. homines conuerſationem non ignorauerunt. Erat enim nō ſolum eruditus ſcriba in regno cælorum, de theſauro ſuo proferens noua & vetera, & vnus negociatorum, qui inuentam precioſam margaritam, quæ habebat, venditis comparauit: verumetiam ex ijs extitit, ad quos ſcriptum
Iacob. 3. eſt: Sic loquimini, & ſic facite: & de quibus Saluator di-
Matt. 5. cit: Qui fecerit & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Peto autem impendio veſtram charitatem, qui hæc ſcripta legitis, vt mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, vt hæc in notitiam & præſentium & abſentium præſentis temporis & futuri hominum, & vellem deferre, & valuiſſem: & mecũ ac pro me oretis, vt illius quondam viri, cum quo annis ferme quadraginta Dei dono abſque amara vlla diſſenſione familiariter ac dulciter vixi, & in hoc ſeculo æmulator & imitator exiſtam, & in futuro omnipotentis Dei promiſſis cum eodem perfruar, Amen.

FINIS.

DE TRANSLATIONE CORPORIS B· AVGVSTINI DOCTORIS ECCLESIAE EX SARDINIA PAPIAM

Petri Oldradi, Mediolanenſis Archiepiſcopi Ad Carolum Magnum Epiſtola:

Et

DE TRANSLATIONE Corporis S. Monicæ, B. Auguſtini matris, Oſtia Romam,

EX VERBIS MARTINI PAPAE V. Ad Fratres Auguſtinianos Sermo.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA per F. Auguſtinum Fiuizanium Romanum Apoſtolici Palatij Sacriſtam.

DE TRANSLATIONE CORPORIS B. AVGVSTINI DOCTORIS ECCLESIÆ EX SARDINIA PAPIAM

Petri Oldradi, Archiepiſcopi Mediolanen. Ad Carolum Magnum Epiſtola.

DOMINO REGVM PIISSIMO Carolo Magno

Petrus Oldradus, indignus Mediolanenſium Archiepiſcopus, Perennem in Chriſto coronam.

OPVS, quod Celſitudo Veſtra, dum in vrbe Mediolani moraretur, mihi imponere dignata fuit, vt aliquid de Tranſlatione Corporis B. Auguſtini Epiſcopi, de Sardinia Papiam inquirerem, & fideli ſermone Celſitudini Veſtræ tranſcriberem, quantum humana fragilitas laborare potuit, elaboraui; & quod ex litteris, & libris Regum Longobardorum,& etiam ex traditione multorum legi, & audiui, Deo adiuuante, breuiter ſcribam.

B. Auguſtinus, Doctor Eccleſiarum Chriſti, poſt multa miraculorum ſigna, quibus in hoc mundo effulſit, poſt multam inſudationem laborûm, qua obſtinationem hæreticorum, rectum iter vitæ deprauantium, oppugnauerat, Deo animam reddens, honorifice a Fidelibus ſepultus eſt in ciuitate Hipponenſi,in Epiſcopatu ſuo,in Eccleſia S.Stephani, currente anno Incarnationis Chriſti CCCC XXX. Cōc. Eph. 1.& Sigonius. ibique honorifice ſepultus per manus Diſcipulorum ſuorū iacuit annis fere LVI. deinde Sardiniam tranſlatus a Fidelibus, & Catholicis Epiſcopis, qui ob Chriſti fidem ab iniquo Traſimundo Vandalorum Rege, vnà cum Fulgentio,

Rumpenſi Epiſcopo, cum innumerabilibus Chriſti Fidelibus in eandem inſulam relegati fuerant, quo tempore Vandali armis Africam vaſtabant; ne gemma, & theſaurus tãtus ab immundis ſpiritibus pollueretur, ſecum eum nonnullis alijs Sanctorum Reliquijs deportarunt. Ibi multis miraculis claruit annis CCXXIII. In quo manifeſte datur intelligi, quòd quos Deus charos habet, ad ſanctitatis eorum teſtimonium, clarificat, & inſignit virtutibus miraculorum.

Luitprandus Longobardorum Rex Catholicus.

Vnde Luitprando, Aſprandi filio Longobardorum Rege, quo tempore a die obitus ipſius ſancti viri fere ducenti & octuaginta anni euoluti fuerant, regnum Longobardorum adepto, & perſeuerante in veræ religionis propoſito, quippe qui protector & defenſor fidelis Eccleſiarum Dei extitit, vir certe tanto principatu digniſſimus, ſi prudentiã, ſapientiam, conſiliumque quo plurimum valebat, inſpexerimus: iuſtitia, atque clementia ita inſignis habebatur, vt difficile iudicaretur, qua in re maiorem promereretur laudem: Chriſtianiſſimus adeo fuit, ac religionis amator, vt nullibi in regno templa ſine ſuo ſuffragio ædificari permiſerit. Nam vt de ceteris taceam, Papiæ plurima templa ornatu miro conſtruxit, donatis & additis multis caſtris & poſſeſſionibus: & præcipue in palatio ſuo Oratorium in honorem Saluatoris mundi exſtruxit, vbi & ſacerdotes, & clericos multos inſtituit, qui die noctuque diuina officia exſoluerent, attributis multis bonis, vt honeſtius & alacrius Deo inſeruire poſſent.

Et primo Regni ſui anno donationem, quam B. Petro Aripertus Rex donauerat, confirmauit, ſcilicet Alpes Cottias, in quibus Ianua eſt, & quidquid ab ea Alpes vſque, Galliarum fines, continebatur: & B. Petro, Apoſtolorum Principi in ſuburbio Papienſi Monaſterium conſtruxit, artificis opere excellenter ornatum, cui etiam indidit nomen Cælum Aureum.

Barbarorum igitur infinita multitudo Sardiniã expugnare eſt aggreſſa: quam cũ inuaſiſſent, & ſubiugatam deſtruerent,

erent, loca etiam ſancta violenter aggreſſi polluebant; inter quæ ſepulcrum B. Auguſtini. Hæc cum iuſtitiæ cultor, & amator religionis Luitprandus Rex audiſſet à ſanctæ memoriæ Petro Papienſi Epiſcopo, quem Rex maximo honore, & ſumma reuerentia ob vitæ ſanctitatem proſequebatur, videlicet coinquinari, & inhoneſte tractari ſanctiſſimi Auguſtini locum; legatos ſuos proceres nobiles cũ magno pondere auri & argenti tranſmiſit in Sardiniam, vt Corpus tanti ſancti redimerent pretio, & transferrent quamprimũ ad ciuitatem Papienſem. Qui iuſſioni & deſiderio pijſſimi Regis ſatisfacere cupientes, nauigio venerũt Sardiniam; & redimentes corpus ſanctum à Barbaris, nauique illud imponentes, Dei miſericordia, & ingenti eorum gaudio, plenis velis per tranquillum mare in vnius diei & noctis ſpatio poſiti ſunt ante portum & ſtationem Ianuenſem. Et per legatos Regi, quæ facta erant, denunciarunt; & vt honorifice occurreret ad Reliquias tam glorioſi corporis ſuſcipiendas.

Luitprandus mittit legatos, q corpus B. Auguſtini redimerẽt, & Papiam deducerẽt.

Bernardinus Corius in hiſtoria Mediolan. parte. 1. ait hanc tranſlationem factã fuiſſe an. Chriſti. 726.

Quo audito Rex immenſo gaudio perfuſus, gratias ingentes Deo referebat, quòd deſiderium ſuum impleuiſſet: omnique negotio poſtpoſito, rogatis & conuocatis omnium ciuitatum ſuarum Epiſcopis, & vniuerſo Clero, vſque in fines agri Dertonenſis ad ſuſcipiendum tam præclarum Dei munus cum maxima humilitate proceſſit, & more Dauidico ad accipiendam arcam Domini, & reponendam in decentiori loco properabat, cum innumerabili procerum, ac populi vtriuſque ſexus multitudine, Deo gratias agente de tantis donis ac datis.

2. Reg 6.

Luitprandus obuiã procedit B. Auguſtini corpori cũ regio comitatu.

Cum autem ad locum vbi iacebat ſanctum corpus appropinquaſſet, depoſitis Regalis aulæ inſignibus, nudatoque capite, & pedibus, cum tanta humilitate & deuotione procedebat, vt omnes, qui aderant, mirarentur, & Deum ſuper tanta deuotione pijſſimi Regis laudarent.

Ad Confeſſorem autem ſuum clarificandum miſericors Dominus dignatus eſt multa miracula operari. Multi enim aliquo officio corporis priuati aderant, qui recuperata ſa-

nitate

nitate alacres in laudem & honorem Dei vociferantes, læti ad propria remeabant. Vnde corpus B. Confeſſoris cum laudibus, & hymnis deferentes peruenerunt ad fines agri Dertonenſis, ad prædium, quod appellant Sauinarienſe; vbi Rex Luitprandus cum vniuerſo Epiſcoporum & procerum comitatu pernoctantes, & debitum tanto patri officiũ digne peragentes, Rex ipſe tamquam vnus de plebe prope ſanctiſſimi corporis Reliquias nimio deuotionis zelo ardẽs pernoctauit.

Luitprandus Rex deuotionis cauſa corã corpore S. Auguſtini pernoctat.

Cum autem aurora ſequentis diei illuceſceret, ad peragendum iter ad vrbem Ticinenſem inſiſtentes, nullo modo ſanctum corpus mouere potuerunt. Cum igitur plures ad feretrum accederent, nec quidquam proficerent, Rex Luitprandus, ſciſſis veſtibus, & deformata facie, in terra deuolutabatur, quippe qui immenſo deſiderio tanti Patris tranſferendi Reliquias ad vrbem Ticinum æſtuabat nimis; ac omnino ab omni ſua ſpe ceciderat poſſe amoueri ſanctum corpus. Quo miraculo omnes Epiſcopi, & proceres ſtupebant; cogitantes intra ſe quidnam Deus omnipotens indicare vellet de Reliquijs tam glorioſi Doctoris. Aderat inter cœtum Epiſcoporum S. memoriæ Gratianus, Nouarienſis Eccleſiæ Præſul, vir multa doctrina præditus, & omni ſciẽtiarum genere illuſtris, & vere Dei ſacerdos, qui acceſſit confidenter ad Luitprandum Regem, affirmans Dei miſericordiam non verbis & actibus externis, ſed magis votis & operibus implorandam. Quæ Rex libentiſſime monita audiens, facto voto deliberauit, & firmo iuramento & regali decreto hoc aſſeruit, ſi Dominus Deus omnipotens corpus B. Auguſtini Ticinum deferri permitteret, quòd ſupra nominatum prædium Sauinarienſe Deo, & Eccleſiæ B. Petri, ad quam ipſum ſanctum corpus deferre volebat, perpetuo habendum tribueret.

Corpus B. Auguſtini non poteſt a geſtatoribus dimoueri.

Luitprandi Regis Votum.

Factum eſt igitur, vt cum votum perſoluiſſet, accederet ad feretrum: qui cum corpus de terra leuare tentaret, ita leuiſſimum inuenit, vt nullo vlterius onere impediente, corpus

Corpus S. Auguſtini perſoluto voto mouetur.

pus beatiſſimũ, quod prius nec moueri poterat à pluribus, modo non prohiberetur deferri à duobus. Peragebant igitur inceptum iter cum ingenti gaudio & exultatione, laudantes Dei omnipotentiam, qui vota Regis tam facile audiſſet.

Cum autem in Vrbe auditum eſſet de aduentu Regis cũ Reliquijs beatiſſimi Confeſſoris, ad ſuſcipiendum corpus ſanctiſſimum omnes, qui reſidui fuerant, feſtinarunt occurrere: & cum ſummo honore, vt pote tanto Patri debito, detulerunt cum hymnis & canticis,& totius populi cõcurſu, ſummo gaudio perfuſi; & repoſuerunt in Eccleſia B. Petri in Cælo Aureo. Iure autem in Apoſtolica poſitus eſt Eccleſia, qui pro eccleſiaſtica dimicans fide diabolicas hæreticorum fraudes diſperſit. Vbi etiam ad ſanctitatis eius teſtimonium, ad augmentum fidei poſterorum, multis ſignis & miraculis claruit.

Illud memoria dignum contigit poſt Tranſlationem Papiæ factam, quo Deo beatoque patri Auguſtino gratam fuiſſe eam Tranſlationem innotuit; ſi quidem multi tactu ſacrorum pignorum, ſeu arcæ, ex varijs morbis ſtatim cõualuere. Sed inſignis fuit illa apparitio facta quibuſdam Vltramentanis numero quadraginta; qui petentes Romã, prope viculum Cauæ, Papia diſtantis circiter tria millia paſſuum, quo membra feſſa a longo itinere curarent, pernoctantes, circa ſecundam horam noctis ab Eccleſia, quæ vicina erat dicata ſanctis Martyribus Coſmæ & Damiano, viderunt egredi hominem habitu pontificali ornatum, qui ipſis appropinquans percunctatus eſt, quò pergerent: Cum reſpondiſſent, ſe Romam ad Baſilicas SS. Petri & Pauli ꝓficiſci, quatenus a Domino impetrarent liberari ab infirmitatibus, quibus vnuſquiſque eorum affligebatur (erant enim omnes infirmi, ideo Romam peregrinabantur, tum vt viſerent ſancta loca, tum vt Sanctorum meritis ibi quieſcentium Deus eos ſanaret) Dixit illis Pontifex: Dirigite greſſus veſtros ad vrbem vobis vicinam, Papiam nempe; & ingredi-

Miracula multa fiunt in tranſlatione corporis S. Auguſtini.

ingredimini templum B. Petri in Cælo Aureo: ingreſſi ſanabimini a languoribus veſtris. Quis eſſet eum interrogantibus peregrinis reſpondit, ſe eſſe Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum. His auditis ſtupore & gaudio repleti feſtinantes Papiam, & templum ingreſſi clamantes dixerunt: Sancte Auguſtine, ſicut pollicitus es, reſtitue nobis ſanitatem. His vix pronunciatis ſenſerunt ſe priſtinæ incolumitati redditos: & Deo, beatoq. Auguſtino gratias agentes ad propria læti & incolumes remearunt, narrantes mirabilia, quæ fecerat Dominus interceſſione tanti Doctoris.

XL. peregrinos infirmos ſimul ſanat S. Auguſtinus.

Dona autem, quæ pijſſimus Rex Luitprandus Eccleſiæ B. Petri donauit, tam in prædijs & poſſeſſionibus, quàm in vaſis aureis, argenteis, & veſtibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum, & catholicorum opinionem. Exiſtimabat enim Rex ille ſe tantum non poſſe donare miniſtris, qui cuſtodiebant corpus B. Patris, quod opinioni & voluntati ſuæ penitus ſatisfaceret. Et tanto gaudio ob corpus tanti viri receptum repletus erat, quòd die ac nocte in hymnis & canticis Dei cum clericis & ſacerdotibus in Eccleſia pernoctaret: & tamquam vnus de miniſtris in canticis Dei & pſalmodia ſe exercebat.

Hæc Tranſlatio corporis S. Auguſtini facta fuit pridie Kal. Martij, ſedente in ſancta Petri ſede bonæ mem. Gregorio eius nominis ſecundo.

Excellentiam Magnitudinis Veſtræ per multa annorum curricula Rex Regum Chriſtus Dominus ſua dignetur cuſtodire potentia. Datum in vrbe Mediolani Anno ſalutiferæ Incarnationis Domini DCC. LXXXXVI.

FINIS.

DE TRANSLATIONE CORPORIS S. MONICAE B. AVGVSTINI MATRIS OSTIA ROMAM,

EX VERBIS MARTINI PAPÆ V.

SERMO AD FRATRES AVGVSTINIANOS.

GAVDEO mihi quoque, fratres religioſiſſimi, lætitiam hanc communem eſſe, quæ hodie veſtrum vniuerſum ordinem coniungit; quòd eiuſdem parentis eſtis matrem adepti, cuius & vos ſecundum ſpiritum filij eſſe debetis. Etſi enim cura, quam gerimus, maiorem quemdam titulum nobis affert, vna tamen ac par omnium Fidelium charitas corda continet: vbi non extrinſeci tituli, non alienæ nuncupationes, non temporanea vocabula valde proſunt; ſed eiuſdem ſpiritus communicatio, quæ nos eiuſdem regni ſecundum IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum hæredes & cohæredes facit. Rom. 8.

In hac igitur ſpe atque exſpectatione, in qua ſimul omnes laboramus tamquam vnius Dominici agri cultores, cõmunis nobis fiducia eſt. Hic igitur vnde fratres ſumus, præſens me delectat Dominici muneris gratia: ac libenter vos

mihi conſortes in tanto gaudio aſſumo, pariter vt omnes eamdem lætitiam frequentioribus ſtudijs celebremus. Sic enim decet, vt ſuperna iucunditate in vnum lætemur, quos neceſſe eſt fide, pace, oratione eſſe coniunctos. Siue igitur vt Eccleſiæ filij ad hanc lætitiam conueniſtis, ſiue vnanimes ſpirituali charitate frátres, ego illinc párens, hinc vobiſcum frater in hac exultatione congratulor. Nec ſane mirũ, ſi & ipſe vobiſcum in Domino frater dici velim, qui me ſecundum noſtri magiſtri vocationem & gratiam ſeruum omnium appello. Nullum denique nomen eſt, quod reſpuã, modo ſimul omnes charitas vna contineat: quando ipſe idẽ
Matth. 12. Saluator omnium ſe & matrem, & fratrem, & ſororem dixit, quiſquis eiuſdem patris, qui in cælis eſt, voluntatem ſeruat. Ceterum ad vos ſingularis quædam cura eſſe debet, qui non tantum fidem, verum etiam religionem, ac vitæ Chriſtianæ formam, omnibus poſtpoſitis, ſanctè æmulamini; vt non ſolum communi appellatione, ſed etiam ſingulari gratia ac ſtudio fraternitatem colatis. Itaque & vo-
cap. 2. bis illud primum conuenit, quod ad Epheſios ait Apoſtolus, quia *iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*. Nemo enim vos ad hanc frequentiam conueniſſe videat, qui non in vobis fateatur eſſe Deum, quos idem ſpiritus in vnam hanc ſollicitudinem conduxerit. Mihi vero illud & placet, & licet dicere, quod princeps Apoſtolorum, cuius locum tenemus, fratribus ſuis dixit; Vos
1. Pet. 2. eſtis genus electum, regaleque ſacerdotium. Sic enim intueor pleroſque ex vobis clericali ac ſacerdotali honore inſignitos; quorum tamen vna cura & voluntas eſt ſimul Deo pro tanti muneris benignitate gratias referre. Neque ego aliud magis optem, quàm ſimul in tanto gaudio lætari; ſimul in tanta gratia, tantaque feſtiuitate eamdem animi deuotionem profiteri. Vndique enim & ipſe id mihi faciẽdum intelligo, præſertim quod Romam, hoc eſt, & ſedem & patriam noſtrã video tanta gratulatione exultare; tamq̃ omnes eamdẽ omnium parentẽ nunc primũ amplectamur.

Quis vero non totis ſtudijs conetur, vt in hanc ſollemnitatem fidem ſuam conferat; quam cernit amplitudine gratiæ omnibus communem eſſe? Nam de illius matre celebritatem agimus, cuius virtus, cuius gratia,& victoria fidem omnium illuſtrat. Quis enim neſcit, aut quis diſſimulare poteſt, vnum eſſe beatiſſimi Auguſtini nomen in omni Eccleſia, atque in omni Chriſtianæ fidei loco celeberrimum? Nemo autem negauerit matri gloriam, quam digniſſime impenderit filio. Nemo a genitrice ſeparet laudes, quas genito exiſtimet eſſe tribuendas: præſertim cum omnes nouerimus,non carnis magis fuiſſe beatiſſimam Monicam parentem, quàm cordis & ſpiritus. De quo apud Deum illa ſemper interceſſit, nihil aliud ſollicita, quàm vt vnius filij Auguſtini ſalutem pareret. Sic enim & ille ſcribit, aliquando ſibi matrem dixiſſe, nullam rem iam ſibi eſſe vltra huius vitæ voluptati, cum filium iam cerneret æternæ vitæ deſiderio felicitatis terrenæ contemptorem. Non itaque iure ac merito gaudeam, qui ſim tantæ gratiæ adminiſtrator, vt beatiſſimæ huius Monicæ reliquias contingam, reddamq; beatum corpus eiſdem, quos tamquam nepotes filius genuerit matri? Quanta vero, aut quantæ dignitatis illa mater eſt, quæ tanto filio in oculis omnium mortalium ſplendet? felix ſane venter, beata profecto vbera, veneranda brachia, denique totum corpus honorandum, cuius curá & miniſterio tantus filius orbi terrarum clarus eſt. Sic ferme ſolet & patrum dignitas conferri filijs, & filiorum gloria prodeſſe parentibus; quorum maxime vnum fuit vitæ ſtudium, ac ſucceſſiua charitatis diligentia; ne tam corpore & ætate, quàm gratia & ſpiritu videatur filius parentem imitari. Accipite igitur Religioſi, bonis affectibus, attrectate pijs manibus, tollite ſanctis humeris matrem, cuius filios vos eſſe gaudetis. Copulate honorem iam in duobus: vnam laudem ac religionem componite: iam in matre ac filio eamdem gratiam celebrate. Mihi vero ipſi haud minor gratulatio eſt, cui datum ſit tantæ feſtiuitatis eſſe participẽ.

S. Monicæ eximia laus.

lib. 9 Confeſſ. cap 10

Vos quoque Romani Ciues agite lætitiam: vos quibus tantum munus venit, accumulate gaudia. Multo enim lætior beatiorque hic dies vobis eſt, quàm cum patres veſtri matrem Deûm, vt ipſi vocabant, ex Phrygia aduectam in hanc vrbem acceperunt: cuius muneris qui fuit miniſter, Scipio Naſica, fertur maximam gloriam peperiſſe; tamquã ſolus in ea ætate iuſtus Romæ eſſet, quem deceret tantæ religionis obſequium peragere. Maior, inquam, iuſtiorque nobis eſt lætitiæ cauſa, qui non fictis ſacris, non falſa religione, ſed ſancta ac vera pietate ducimur. Nec turpes matris deûm reliquias colimus, ſed magni ac ſummi Dei cultricem religioſo ſtudio veneramur. Nec præterea Scipionẽ vanum impuri cultus ſacerdotem ſequimini, ſed Martinum Eccleſiæ ac fidei noſtræ Pontificem, nec minus veſtræ charitatis conſeruum habetis. Hæc omnium vna cura eſt: hæc vt cerno, totius populi pia ac ſedula inſtitutio beatæ Monicæ reiteratas exequias colere.

P. Scipio Naſica magnam matrem deum hoſpitio ſuſcepit.

Omnes dudum nouerant filij nomen, quicumq. de Chriſto, de fide, de religione aliquid ſaperent: omnibus in ore erat Auguſtinus, vt nihil pene ex ſacris litteris poſſit, niſi eo duce, intelligi; nihil niſi eo interprete, explicari. Eo itã auctore factum, vt nec philoſophis ſapientiã inuideamus, non oratorum eloquentiam deſideremus, non ſtudioſorum ingenia requiramus; non denique nobis acumen Ariſtotelis neceſſarium ſit: non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non grauitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis ſolertia, non cuiuſquam illius generis hominum ſcientia ac virtus exemplo aut documento nobis eſſe debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apoſtolorum voces refert: idem omnem omnium ſcripturarum ſenſum exprimit: vnus poſtremo omnium patrum, ſapientumque ingenia ac ſtudia exhibet. Si veritatẽ quæris, ſi doctrinam, ſi pietatem; quis doctior, quis iuſtior, quis (vt ita dicam) ſanctior Auguſtino? Nunc vero tantũ ac talem virum pia mater Monica genuit: tanti Patris gloriam

D. Auguſtini laus.

riam hæc beatiſſima miniſtrauit.

Tanta igitur huius mulieris dignitas, tam digna ac memoranda illius memoria, quantus ille in tot libris ſplendet, quantus omnium gentium ore ac fama prædicatur. Si quidem (vt ante dixi) hæc illi fuit tot meritorum, tantæq. gloriæ cauſa; hæc ſecundum Deum tantæ felicitatis origo; vt iam parum ſit, quòd hominem genuerit, quòd aluerit, quòd inſtituerit, quòd communi more mulierum puero fomenta præſtiterit. Vnigenitus hic fuit matri, vt intelligas, non ad vnius propagationem, verum ad totius orbis vtilitatem eas nuptias quæſitas eſſe: quippe vno contenta, ſatis habuit vnius vitam omnium gentium beneficio peperiſſe. Itaque illud eſt tanti partus emolumentum maximum, quòd quem in carne genuit, non protulit carni, quem materno vtero, materna cura, maternis officijs ſeruauit, ſemper in id viſa eſt intenta, quonam modo omnium mortaliũ generi filium efficeret.

Ex Auguſtino B. Monicę laus tribuitur.

At quem non delectet hoc apud Auguſtinum cognoſcere, ſolitam matrem illi ex ipſis cunabulis IESV Chriſti nomen, quo magis poſtea per ætatem dulceſceret, infantilibus labijs imprimere: ſic deinde per omnes ætatis gradus geſſit, nihil negligens, nihil intermittens, quod ad hominis ſalutem ſpectaret. Quis eodem ipſo Auguſtino referente, omnes clamores explicet, quibus illa dies noctesq. pro vnius filij non incolumitate corporis, ſed ſanitate, hoc eſt, felicitate mentis, & integritate animæ cælum ac ſidera pulſabat? Cum tantæ preces viderentur ad multorum ſalutem dirigendæ, quantas illa pro vnius filij charitate proferebat? Quis lacrymas enumeret, quis fletus cogitet, quos illa mater pro pueri pietate edidit; nec ceſſauit, donec cælitus admonita eſt, non poſſe tantarum lacrymarum filium perire; ac poſtremo eo fidei ac ſalutis loco futurum Auguſtinum, quem illa tenuiſſet. Itaque deinceps quamquam ipſe multa præteręo, ſimiles curas intendit, quo cæleſti oraculo obſequeretur, ſemper Auguſtinum, ſemper filium, ſemper Deo

S. Monica nomen Ieſu Chriſti Auguſtini ĩfantilibus labijs imprimebat.

ac religioni promiſſum ac deuotum meditans, vt ne pedem ab hominis veſtigio declinaret. Neque interim refero quibus artibus apud virum, quibus apud Deum meritis eiuſdẽ viri ſalutem obtinuerit, vt hoc fieret quod Apoſtolus refert prima ad Corinthios, Saluatus eſt vir infidelis propter mulierem fidelem, ne ex omni familiæ numero quiſquam in eo loco deeſſet, vbi ſalui atque electi æternis conſcriptis receſentur.

cap. 7.

Illud vero quantæ admirationis, quantæ fidei, quantæ probitatis exemplum eſt, quòd Auguſtinum per tanta maris ac terrarum ſpatia ſecuta ſit, neque vnà cum eodem filio peregrinationem aggreſſa? nam ire cupientem Auguſtinus ipſe fatetur matrem eluſiſſe. Verum poſtea quàm ille hinc Mediolanum eſt profectus, illa quoque non muliebribus conſilijs eadem cepit veſtigia, ſublatis ex Africa velis ad filium, vbicumque eſſet, pluſquam fœmineis ſtudijs perrectura. O vere Phœniſſam mulierem, cui recte illud conuenit ab Saluatore dici, Mulier magna eſt fides tua. Nempe quanta fides, quæ illam tam audaci propoſito per vndas tempeſtateſque, per tot viarum diſcrimina intrepidam atque indubitatam ferret, quouſque Mediolani filium, nihil tale de matre exſpectantem, complexa eſt. Ibi vero quis referat quantas curas non quaſi pro filio mater, ſed pro Auguſtino, vt ſanctus eſſet, fortiſſima ac ſanctiſſima mulier adierit? tum quibus meritis, qua virtutum fama Ambroſij, Simpliciani, totque maximorum virorum ac ſanctiſſimorũ patrum chariſſimam familiaritatem attigerit? nihil apud ſingulos inquirens aliud, quàm vt filij ſalutem fideliſſimis hominibus commendaret.

S. Monica Auguſtinũ peregrinãtem vbiq; ſequitur.

matt. 15.

Poſſem hoc loco multa memorare, quæ illa, vt Auguſtinus ad fidem conuerteretur omnino ſuper feminam geſſit. Verum nolo me exiſtimetis hodie hunc ſermonem cepiſſe, qui vos beatæ Monicæ merita ac laudes doceam: Tãtum vero his officijs valuit, vt quod vnum plus quàm filiũ cupiebat, eumdem videret baptiſmo, ac fidelibus ſacramẽ

tis rena-

tis renaſci: quaſi vnius mulieris gemitibus cuiƈta cæleſtis curia non poſſet diutius huius feminæ ſuſpirijs vnigeniti vitam ac ſalutem negare, vbi præcipue tot patres in cælum votis ac precibus intenderent; Dimitte illam, quia clamat post nos. Hinc demum (vt cetera quæ plura his ſunt, præteream) numquam apud filium cæleſtibus verbis ceſſauit, vſquequaque per Italiam vadentis iter comitata. Nec ſane ipſe magnæ aut paruæ rei quidquam inconſulta matre agebat. Extant familiares eius Dialogi, ac pleræque diſputationes, cum amicis ac diſcipulis habitæ, in quibus de maximis rebus diſputatur. Atque inter cetera quoque huius ſermones referuntur; non quidem vt ſolent mulierculæ ſtudio garrulitatis alienis colloquijs permiſceri, verum vt ſingulari quodam iudicio prædita crebro hæc teſtis infertur. Sunt omnino illius de Deo, de virtute, de paradiſo, de noſtra redemptione in nonnullis Auguſtini voluminibus grauiſſimæ ſententiæ, & quæ maximis quoque ingenijs ſatis ſint. Nempe diuinitus edocta quæ diſſerebat, ea ſuperno teſtimonio confirmata tuebatur. Habitabat (credo) in illius mulieris corde alius ſpiritus, quàm qui ſolet per humanam linguam fari. Quam ob rem fere inducitur ab Auguſtino in eiuſmodi colloquijs veluti quædam omnium rerum magiſtra, & cui æternus Deus rerum ſuarum cognitionem & auctoritatem dederit; vt ferme liceret ei dicere: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Ita arbitror factam illam omnibus, qui in Italia præſtantes habebantur, ipſa ſapientiæ grauitate notiſſimam, dum filium verior dux, quàm comes ex Mediolano Romam conſequitur.

Quo medio tempore Auguſtinum ferunt ſanctorum hominum conſilia quæſiuiſſe, quorum præcipue in Tuſcia multi fuiſſe conuentus dicuntur; hodieque apparent apud poſteros illorum colloquiorum veſtigia. In his vos adhuc frequentibus conſortijs habitatis. Ac nos cum ex Florentia Romam venimus, quædam vidimus in agro Senenſi nec ſine magna huius recordationis voluptate per Fratres illos

transiui-

Matth. 15.

2. Cor. 13.

B. Auguſtinus in Eremis Tuſciæ aliquando fuit.

Martinus PP. V. Eremos Senenſis agri adiuit, atque commendauit.

tranſiuimus, tamquam adhuc vetuſtiſſimarum cellularum ac ſpeluncarum veſtigia ſpectaremus.

Sed ad beatiſſimam Monicam redeo. Secuta illa per omnes terras filium Romam vſque; ſpectatis omnibus, quæ in hac vrbe viſenda erant, vnà cum filio ad Oſtia Tiberina proficiſcitur, vnde ex Italia in Carthaginem nauigatio eſſet. Verum quid hoc loco dicam fratres optimi, quænam potuit eſſe cauſa cur noluerit eam Deus Italia excedere? nam in eo loco vltimum diem peregit, eo vſque filium ſecuta: dũ illi fere (ita dicam) patriæ muros oſtẽderet his pene verbis: *Tu quidem hinc abeas fili, teque ad optatam patriam refer: verum ita vt memineris, vnam eſſe in cælo immortalem ac veram, quæ eſt communis omnium Sanctorum patria. Nihil aliud igitur a me tibi relictum putes, quàm vt hanc & votis & ſtudijs omnibus perſequare. Tum ego te in ſinum meum recipiam. Nam vt te longius in his terris ſequar, modo Deus prohibet. Hic meæ peregrinationis finis: hic meæ mortalitatis limes eſto: vade noſtro auxilio, noſtraque tutela ſecurus felixque. Tempus erit cum ſimul ambos filij tui, filijque mei, te in Italiam reuocato, religioſa pietate ſeruabunt.*

S. Monicæ morituræ ad filium Auguſtinũ oratio.

Hæc pene mihi videor illam prophetantem audiſſe: atq. hoc illud tempus eſſe, quod tanto ante illa prædixit. Quis vero non hic videat omnipotentis Dei pietatem, miſericordiam, prouidentiam, qui noluerit tam inſigni dono Italiã, quin potius terrarum orbem fraudari? Non enim facile credo, ſi in Africa diem obijſſet, fuiſſet aliquis, qui beatos cineres collegiſſet; nec potuiſſet ſupereſſe tot Africæ vaſtitatibus ſanctarum reliquiarum memoria. Non enim ſeruaſſent matrem, qui filium iam toto orbe notum, ſi non ante tranſlatus eſſet, perdidiſſent. Quamquam ne in oppido quidem Oſtienſi tuta fuiſſent ſanctorum oſſa, niſi Dominico præſidio eſſent cuſtodita.

B. Monicę corp⁹ multis ſęculis latuit.

Latuit igitur hoc modo per multas ætates beatum corpus, Deo ita prouidente; vti per vos aliquando illuſtraretur mater, qui filij nomen tanta pietate celebratis. Ego vero & mihi ipſi gratulor, hoc eſſe temporibus noſtris conceſſum, vt ſimus apud vos tam præclari muneris auctores. Ac

ſane

ſane puto non aliam ob cauſam ſeruata eſſe vltima Oſtiæ ruinarum veſtigia, quàm vt his reliquijs locus eſſet, qui aliquando referret quaſi pignus, per tot annos reſeruatum.

Eſt enim ab temporibus Honorij, quando illa ad cælos migrauit, ad hanc noſtram ætatem annus ſupra quàm milleſimus, quo Deus nobis ſuæ miſericordiæ benignitatem aperuit. Nam illud quoq. multiplicis extitit gratiæ, quòd dum vnum corpus requirimus, multa ſunt vno pietatis opere retecta. Quæ quonam modo ſe habuerint, iam velim, me referente, diſcant qui forte ea nondum plane audierunt: Sic enim ſpero paullo poſt huius gratiæ opus vniuerſo terrarum orbe promulgandum, cum hic dies ſit, quo (vt cernitis) Romam ex omni, quæ ſub cælo eſt natione concurritur. Atque vt opinor id conſulto egit Deus, vt ſolito etiam frequentiores peregrini & aduenæ eſſent, quorum oculis placuit tantæ ſupernæ largitatis beneficium oſtendere.

Nimirum Palmarum dies.

Iam igitur explicemus, quo ordine, quibuſue modis, tum quorum miniſterio beatiſſimæ Monicæ, ſanctiſſimi patris ac doctoris Auguſtini matris, corpus ſit, nobis concedentibus, repertum. FRATER Petrus homo veſtri Ordinis, ac noſtrorum ſacrorum cuſtos, quem etiam fecimus Electenſem Epiſcopum: is ſæpe dudum a nobis petiuerat, vt hoc præſtaremus, qui liceret beatæ Monicæ reliquias Romam transferre, aut in alium quempiam locum, vbi congrua ac ſollemni veneratione colerentur; quippe male haberi ac ſeruari Oſtiæ, qui locus pene deſertus eſſet. Maxime autem orabat, vt eas veſtro Ordini tribueremus: ſic enim decere, coniungi filio matrem, & eoſdem eſſe vtriuſq. ſeruatores, qui eſſent & cultores. Id nos hactenus certis ex cauſis diſtulimus, non quaſi non iudicaremus dandum, quod poſtulabat; ſed nonnulla erant impedimento, quæ prius oporteret expediri. * Poſtremo tamen & precibus, & auctoritate multorum victi, annuentibus noſtris fratribus, conceſſimus iret, quoue modo videretur ad Vrbem eas reliquias transferret. Vocat ille ad ſe alium fratrem, † Augu-

*Ex Card. cõſilio Põtifex Tranſlationẽ approbat.

†F. Aug. Fauaroni⁹ Roman⁹ Generalis, cũ Sacriſtã adeſſe Põtifici oporteret, Tranſlationis curam ſuſcipit.

ſtinum hunc ipſum præſentem; atque illi operam dat nego tij deducendi: ille vero vt libenter ſuſcepit, ita ſine mora omnia parat, quæ viderentur opportuna negotio. Idem ceteros ſollicitat, vt in rem parati adſint. Nam ſibi in animo eſſe, vt in die Palmarum, qui proximus eſt præteritus, tranſueherentur. Primum omnium quod erat neceſſariū, Oſtienſem hominem conuenit, cui ſoli notus dicebatur locus, vbi erat ſepulcrum. Reſpondet ille, ſe quidem locum noſſe (nam ſub Altari in eccleſia S. Auræ: ſic ſe ab vno ſeniorum accepiſſe: ac ſemper conſulto factum, vt ſepulcrū paucis, aut ferme vni notum eſſet) ceterum vereri, ne ſimul & aliorum Sanctorum oſſa in eodem mauſoleo clauderentur. Id renunciatum eſt nobis. Ac nos reſpondimus: ſi hoc ita eſſet, nec diſcerni poſſent oſſa, omnia quæ in eodem monimento inuenirentur, ſimul haberetis. Cum his mandatis lætior dimiſſus frater Auguſtinus Rodulphum Caſtellanū cum alijs, qui multi numero Romæ tunc erant, fratribus conuocat. Ita omnes Oſtiam ad deſignatum locū proficiſcuntur.

Hic Rodulphus poſt Petrum Sacrarij Antiſtes fuit.

Fuit Oſtia quondam Romana Colonia, ab Anco Martio quarto Romanorum Rege condita, duodeuiginti milliaribus hinc ad mare diſtans. Oppidum olim diues, nunc vix pauca ſuperſunt veſtigia.

Eo vbi peruenerunt, tendunt cum mandatis noſtris ad locum, qui oſtendebatur in inferiori aditu Eccleſiæ, vbi primum ad dexteram Altaris plus octo pedes effodiunt: vbi inuenerunt paucula oſſa: ſuper planum lapidem poſita erant. Videbantur tamen eſſe Reliquiæ ſanctorum, & ſi res nulla litterarum indicio apparebat. Tum vero omnes ambigunt, quid facto opus ſit. Non enim exiſtimabant eas eſſe reliquias, quas quærebant. Fornix item erat tam denſus ac ſolidus, vt nec fortibus malleis pulſatus ſonitum redderet. Vndique igitur tentant, ſi quis forte ſit aditus. Nihil omnino cernitur. Denique ex eo loco ſaxum mouent, vbi priores Reliquiæ inuentæ erant: nam præ veneratione

timuerunt

timuerunt contingere. Tum vero oſtiolum apparuit, vnde in ſecretiorem tumulum ibatur: monimentum in modum cameræ amplum ſubter erat, vſquequaque inter Altare & parietem replens: Ibi plures arcæ in ordine ſtabant, quarũ aliæ alijs maiores erant. Ad dexteram tria erant Sanctorũ corpora: primum Lini Martyris, qui poſt beatum Petrum primus fertur Cathedram tenuiſſe: hinc aliud Felicis Pontificis, qui & ipſe Claudio Principe martyrij coronam eſt adeptus: tum & Aſterij Martyris aliud ſepulcrum ſequebatur: In ſiniſtra erant, beatæ Conſtantiæ primum ſepulcrũ, vbi cum filia iacuerat; (nam ſimul ambæ martyrium ſuſceperant) dehinc arcula beatæ Auræ Virginis ac Martyris oſſa continebat: huic ſubiectum erat beatæ Monicæ ſepulcrum, cuius magnitudo hominis ſtaturam implebat.

Multa Sanctorũ corpora Oſtię ſimul cum S. Monica inuenta.

Verum illud omnino intelligendum, ac præterea Deo gratias referendum, qui tam mirabilis in ſuis Sãctis triumphat, nec patitur vllo tempore miſericordiæ ſuæ expertes eſſe, qui ſe ſponte pro amore ipſius martyrijs obtulerunt? Namque ex oſſibus Virginum, vt manifeſtum erat, perennis liquor exſudabat, qui facile omnium odoramentorum ſuauitatem vinceret. Quæ igitur Regum ac Tyrannorum iactantia? quòd in auro ac marmore ſepeliantur: quòd imbuantur balſamo: quòd magnificis tumulis conditi a populis honorentur?

Ex Sacris Virginũ reliquijs ſuauiſſimus liquor emanat.

Quid? quod huic fratri Auguſtino euenit contactu beatorum oſſium? numquam potuit manus ſacro odore purgare, donec lauit aqua benedicta: quaſi ita ſacrãmento cederet ſacramentum, quod nequiuiſſet communi lauacro aboleri. Mihi vero magis quoddam indicium præſentis diuinitatis videtur, nulla humana cura defunctorum Reliquias diuinis odoribus diſtillare. Quippe vt appareat, quemadmodum in vita carnis concupiſcentiam neſcierunt, ita eos poſt vera immortalitate inſigniri. Neque hoc dubium fuit: ſi quidem nos huius rei experimentum noſtris oculis conſpeximus. Quieſcite iam beata corpora: manete, o ſanctiſ-

Aquæ benedictę miraculum.

ſimæ Reliquiæ, quibus ſanguis ille ob Domini noſtri amorem fuſus, in cæleſtis roris ſuauitatem conuertitur.

Corpus S. Monicę colligitur & ad vrbē deducitur.

Aperto igitur beatæ Monicæ ſepulcro, fratres quanta poſſunt veneratione ſpectatum atque honoratum corpus colligunt, ſimul altiſſimis vocibus diuinarum laudum hymnos decantantes. Hoc modo illi deſiderio potiti ad Vrbem, multis ſequentibus, properant: quibus interim noſtro iuſſu obuiam procedit ex eodem Ordine Lucas, nunc Epiſcopus in Corſica: Tum hic frater Antonius, Legatus ab Rege Aragonum ad nos miſſus.

Venientib⁹ ſacris reliquijs īgens populus procedit obuiā. Anno Dñi Mccccxxx.

Illud vero pulcherrimum, ac ſane mirum dictu: aduentantibus circa S. Paulum Reliquijs, tantus ex inaudito per totam Vrbem tumultus eſt erectus, quantus nullo præconio potuiſſet excitari. Dominica erat Palmarum, qui dies eſt Romæ conuenarum frequentiſſimus. Millia peregrinorum vndique diſcurrebant. Quidnam hoc eſſet rogitantibus reſpondebatur: beatæ Monicæ Reliquias tum primum in Vrbem inferri. Illi qui neſcirent beatæ Monicæ nomen, mirabantur. Ceterum vt audiebant, beatiſſimi Auguſtini matrem fuiſſe, omnes ſine mora e domibus atque hoſpitijs effundebantur: plenique concurſantium vici: dumque alius alium hortatur, impellit, arripit, incredibilis fiebat euntium tumultus. Ibi homo plebeius, qui apud S. Paulum reſtiterat, viſo gentium concurſu, vt forte potuit flexis genibus Sanctam maximis precibus venerabatur, opem marcido corpori expoſtulans. Nocte in ſequenti maculis, quibus in modum lepræ vniuerſum corpus tegebatur, mundatus eſt. Deinde in Vrbem ingrediuntur: nec capaces erant tumultuantium viæ: omnes videre, omnes inſpicere, ac tangere cupiebant. Plurimi quibus non dabatur acceſſus, aut caputeis, aut zonis, aut huiuſcemodi rebus iactis, modo aliqua re contigiſſent, deuotionem explebant.

Miracula eduntur.

At per viam homo Romanus cuius oculi penitus caligauerant, poſt orationem factam claro lumini eſt redditus. Ita perſonantibus fratrum ac ſacerdotum hymnis, canti-

ciſque,

ciſque, matris corpus ad filij Eccleſiam transfertur. Non deerant vulgi clamores, non totius populi voces, non deuotorum, non mulierum orationes ac lacrymæ. Omnes gaudijs, omnes laudibus ac votis ſatagebant. Neque illo tantum die ſollemnitas acta eſt: omnem illam hebdomadam, quæ eſt (vt noſtis) ſanctiſſima, pari deuotione celebrarunt.

Puerulus erat in domo fratrum frater, altero oculo derelictus: hunc mulier cognata accitum applicuit, vt ante corpus aliquid pueriliter orans flecteretur: atque illa cum paucis mulieribus pueri valetudinem precata paullo poſt ſurgens ſanum atque integrum vtroque lumine recepit. Eodẽ modo eſt de pluribus vulgatum, qui præcipue gloriantur ſimilibus beneficijs ſecum illam meruiſſe. Nec mirum quidẽ ſi hæc beati corporis præſentia efficit, quando & ipſum monumentum, quod paullo poſt vacuum ex Oſtia tranſlatum eſt, huiuſmodi miracula potuit operari, nam ita viſum eſt, beata oſſa id fere deſiderare, vt in veteri arcula, tamquam in ſuo habitaculo, ſeruarentur.

Effoſſam igitur graui deuotione per amnem deportarũt: ac dum in Eccleſia paullulum reſideret, fratribus ad Reliquias profectis, mulier cuius filius erat octauum iam menſem graui atque implicito morbo ægrotus, arreptum paruulum ſinceriſſima ſpe in arcam imponit, moxque ſanum factum, ſuper pedes nitentem iam infantulum ſtatuit. Iſta nunc quotidiana ſunt, atque in oculis omnium geſta, vt nihil non ſperare liceat patrocinio illius affuturum, quod aut corporibus, aut mentibus noſtris neceſſarium fuerit.

Quàm igitur gaudendum tibi, o Roma, quæ hanc parentem ſuſcepiſti. Ego vero quàm maxime exultem vix poſſum referre, quòd noſtra ætate tam benigne Deus noſtris rebus acceſſerit. Mihique ipſe haud dubium patronum Auguſtinum in cælis habiturus videor; ſi quidem neceſſe eſt, & filium eiſdem muneribus debere, quibus mater affecta eſt. Specioſiſſimum vero hoc tempore munus, quando quidem Eccleſia, quantum ad noſtra pertinet guberna-

Nempe ſublatis Schiſmatibus.

bernacula, opulenta pace fruitur. Itaque & hoc in rebus noſtris præclariſſimum ducemus, Sanctis quoque optatam ſedem præſtitiſſe: nec tantum vt vni locum dederimus, cũ & Auguſtino & Monicæ pariter hoc gratum fuiſſe exiſtimem. Quid vero ipſe carius habere poſſem, quàm inter ceteros Sanctos vni beatiſſimo Auguſtino gratificari? Cuius tanta extant erga omnem catholicam Eccleſiam beneficia, vt nulli pene (ita dicam) Sanctorum maiora merita debeamus. Quidquid enim ſimul omnes Apoſtoli plantauerunt, quidquid Apollo, atque alij Apoſtolorum ſectatores rigauerunt, hic coronauit, hic tetendit, hic velut circumpoſito aggere, materiam præbuit, qua ex Deo feliciora crementa ſuſciperet. Totus itaq. iam Auguſtini fio, meque illi quibus poſſum deſiderijs voueo, cuius opem capiti mihi in primis neceſſariam arbitror. At vobis quantum gloriari licet, fratres deuotiſſimi, qui ſub tanto magiſtro militiã geritis, qui ſub tanto nomine religionem ſeruatis, qui ad ſpeciem tanti præclari exempli vitam exponitis? Iam deinceps honorate in filio matrem, duobus æqua religione ſeruite. Ac ſi fortaſſe & mulieribus huius religionis forma placuerit, vna erit beatiſſima Monica, cuius exemplum imitentur: vna erit matrona ſanctiſſima, cuius virtutem ſequantur, vna erit cæleſtis vidua, cuius felicitatem amplectantur. Ceterum hinc vos exiſtimate hodie a nobis admonitos, minime licere, vt ab data regula declinetis, quibus tam magna exempla propoſita ſunt, quibus tot commoditates acceſſere. Quamquam nec alijs locis pepercit Deus bonitati ſuæ erga nos, quaſi omnino cupiuerit munus ſuum implere, ac prædicatoris ſui Auguſtini omnem gloriam patefacere, veſtrumque Ordinem extremis beneficijs ſublimare. Sic enim audiuimus, Tiaram Auguſtini, lituumque illum paſtoralem non ante multos dies reperta, magnoque pretio redempta in Sardinia, Valentiam tranſlata eſſe. Ita omnibus locis & rebus bene ſucceſſit, definiente Deo, vt qui rite præter ceteros Auguſtinum colitis, ſoli omnem illius ſupellecti-

B. Auguſtini tiara ac paſtoralis lituus inuẽta, ac valentiam côuecta ad nr̃os.

pellectilem poſſideatis. Quid enim magis congruit, quàm eoſdem rerum & corporum cuſtodes eſſe, qui nominis ſint hæredes? Iam igitur omnem Auguſtinum habetis: iam vniuerſam illius rem ac familiam tenetis. Neque deeſt vobis omni ſtudio pater: nec deficit in aliquo benefacto Deus. Vnum vero eſt manſuetudinis iugum, vnaque humilitatis regula, cui primus ipſe fuit ſubiectus, ne quem eius propoſiti pœniteret.

Ex his rebus, mihi credite, vos quoque prima crementa accepiſtis: his inſtitutis maiores ac patres veſtri per orbem terrarum clariſſimum nomen habuerunt. Si quidem recte putant omnes, non religionis modo, verum etiam cæterarum virtutum fundamentũ in humilitate eſſe. Quòd ſi quis verbis potius, aut cultu & fronte gloriam ſuã iactat, a veritate ad ſuperſtitionem animũ ſeducens, eius profecto, vt Apoſtolus Iacobus inquit, vana eſt religio. Mea quidẽ ſententia ſi patris Auguſtini præcepta ſeruaueritis, nullum hominum genus fuerit, nullius regulæ inſtitutio, cuius ſanctitati vobis inuidendum ſit. Verum neſcio quid vobis metuam; neſcio quam religionem veſtræ fraternitati ſperem, quos, inuitus agnoſco, paullo plus tituli rerum, quàm res ipſæ delectant; quaſi non ſit omnium malorum ſeminarium ſuperbia; non omnium malorum radix cupiditas; dum quærit alius alio ſublimior videri: nec veniunt ad virtutes honores, ſed honorum opinio temeritatem ſequitur. Quo fit vt nihil ſit inter Ordines integrum, nihil ſanum, nihil concors. Omnes enim quærunt quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti. Atque ita ille in medio nudus, tamen laceratur, dum quæritur ex paupertate oſtentatio; ex ignorantia honor; ex nequitia auctoritas, ac fit inſtrumentum, aut pretiũ virtutis ambitio. Alij vero eadem hæc per ſocordiam & effuſam quandam vanitatem requirunt, quibus nulla eſt cura, qui ſint, ſed qui habeantur: vt de ſordidioribus tace-

cap. 1.

Pontificis ad fratres reprehenſio.

Philip. 2.

ti mali cauſam cernerem, quam liceret vel omnibus, qui titulum Religionis habent, vel vobis audientibus aperire. Ni forſan hæc eſt, quòd cuique ſua ſordeſcit Religio, quam ob rem quærens quonam modo emineat, alienis rebus inflatus euaneſcit. Quid vos autem Religionis veſtræ pudet? quid eã vitæ formam contemnitis, quæ, vos in cœlo primum, tum in omni terrarum orbe tam claros fecit? Nolite vos exiſtimare futuros mundo illuſtriores, ſi neglecta religione, mundi ipſius inſignia circumfertis. Nec prius, credite, vos vobiſmetipſis, quàm ipſi mundo vileſcere. Aut nõ accipienda fuit religio, aut poſtquam ſumpta eſt, meritis ſtudijs decoranda. Meminiſſe enim oportet quod ait Apoſtolus: *Quamdiu*, inq̃t,
Rom. 11. *Gentium ſum Apoſtolus, honorificabo miniſterium meum*. Quam ob
Rom. 1. rem alio loco dicit: *Non erubeſco Euangelium*. Atque ad idem
1. Cor. 7. ſpectat illud: *Vnuſquiſque maneat in ea vocatione, in qua vocatus eſt*.
1. Tim. 1. Sic ille Timotheum, ſic Titum, ſic ceteros conuocatos in fidem, docet bonam militiam agere, ac veram & æternam vitam ſequi, velut ipſe ſe ad deſtinatum ſupernæ vocationis brauium ducit.

Hæc igitur noſtra gloria eſt, mentis religio, vt & Deo ſancti ſimus, & mundo recti. Quæ nihil opus eſt vobis referam, modo intelligatis, quid ille veſtræ profeſſionis parens atque inſtitutor præceptis ſuis voluerit; quibus facile poteſtis inſtrui, quid in primis veſtræ religionis propoſito conueniat. Ac vellem hæc nimium perſpiceretis, quibus nihil maiori curæ eſſe debet, quàm vt veſtro ordine, veſtra pace, veſtra religione, tantis muneribus occurratis. Cetera tamen velim ſilentio præterire.

Decretum Papæ, Ordini ſalutare.

Vnum eſt, vnde nos quoque vobis iure ſuccenſeamus: mandatum ac decretum Mantuæ fecimus eodem anno, quo ex Conſtantia, peracto Concilio, creati in Italiam venimus: ante omnia, ne longiores adminiſtrationes faceretis, quàm ex Ordine oporteret; præcipue vero Prouinciarum Prioribus duorum annorum ſpatium ſub noſtri maledicti pœna conſtituimus; quæ (vt video) ſpreta noſtræ inſti-

tutionis lege, contemnitis. At non intelligitis, oro, quantam & Deo, & parenti Auguſtino, & benignitati noſtræ, ne dicam auctoritati, & veſtræ religioni faciatis iniuriam? An neſcitis, præcepto Domini non debere eſſe inter vos Principes aut dominos, quibus maxime dictum eſt, Maior fiat minor: & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat? Non hoc in Regula præcipue conſtitutum legiſtis, ne Præpoſiti tam præcedere velint, quàm prodeſſe? quid? non idem patres ac maiores veſtri cenſuerunt, quibus, non vt vobis, Prouinciales, Generaleſque, velut Rectores erant? Verũ ego ita accepi, annuos Viſitatores dictos, qui ſemel eo tẽpore Prouincias pro communi ſalute viſitarent. Ita illi non Generales perpetuos, ſed in ternos annos eligebant, qui vniuerſi Ordinis curam gererent, nec tam honorum tituli, quàm oneroſæ maiorum curæ habebantur. Matt. 20.

Redite igitur ad patres veſtros, eorumque exempla & inſtituta retinete: nec tamquam viri aut duces, aut deniq. patroni Eccleſiarum, ſed quaſi fratrum, ac Religionis fideliſſimi zelatores charitatem obſeruate. Quem ordinem ſi tenueritis, tum vere, vt exiſtimo, in Ordine eritis. Ac nos quidem ita ſtatuimus, decretum illud noſtrum veſtra obſeruatione cuſtodiri oportere. Me vero exiſtimate haud minus minores veſtros colere, quàm eos, qui maiores haberi ac videri volunt: vt nemini non ſæpe ſit nauſea, quibus de rebus neceſſe ſit inter Religioſos iudicium facere: Audite, oro, ſi me non vultis, vel Apoſtolum arguentem: *Quare nõ iniuriam accipitis?* quare non fraudem patimini? ſed vos ipſi fraudatis, & hoc fratribus veſtris. Multa ſunt huiuſcemodi, quæ non ad vos modo, verum ad omnes Religioſos dicta conueniant. En videtis quanto labore ante paucos dies 1.Cor.6.

quam tempore veſtro Ordini neceſſitas extitit, vt hæc bene conſiderata haberetis, profectò hic dies eſt, quando in Religione veſtra quaſi geminam faciem habetis, parentis ac filij, vbi pulcherrimam vitæ formam liceat intueri. Ita ſi quid ipſi cœtui veſtro proficere poſſumus, fratres, omnino exiſtimate nobis curæ eſſe, qui omni opere veſtram religionem foueamus; vt nihil iam intereſſe placeat inter Presbyteros, & veſtræ Regulæ profeſſores: ne qui eſtis ad communem Eccleſiæ vtilitatem conſtituti, ex ſocijs membris indigne damnum feratis. Illa enim prorſus abominanda eſt inſolentia, religioſis Religionem inuidere, aut non poſſe pauperem inopiam pati, aut denique ſe meliorẽ ducere, quod potior quiſquam velit haberi: Tantum & ipſi date operam, vt per conuentus veſtros quieti ſitis, ac quiſque Religionis ſuæ negocium expleat: ac vos præſertim, qui tanto patre gaudetis. Iam enim nulla dubitatio eſt, quin vobis Auguſtin⁹ in primis pater ſit nõ eo modo, quod illius nomen ſingulari honore ſectamini; verum iudicio noſtro, hoc potiſſimum cauſæ eſt, quòd ad vos vnà cum filio mater acceſſit; tamquam indigne ferret, non ijs corpore præſentem eſſe, qui ſe digna religione honorarent. proſpexit, credo, velut errantes paruulos, vt in ſinum ipſa quoque nepotes acciperet. Nondum enim cuiquam, niſi vobis hæc ſancta dicata eſt; nec alteri, quam Ordini veſtro ceſſit: multi tamen ad Auguſtini nomen ſubiere, iam de ipſa Religionis dignitate certantes; quaſi ſolis hic honor debeatur, quem velut primi affectant. Sed alius hic locus eſt. Ipſa quidem mater ſolos elegit, quos tamquam filio cognatos aſſumeret, ſponte in ordinem veſtrum ſuccedens. Vtinam eo tempore quæſita eſſet, cum maiore numero eratis per orbem terrarum frequentiores. Nihil profectò in ore hominum plus eſſet. Nam quæ mulier, religionem expetens, nolit inter beatæ Monicæ dicatas cenſeri? quis hominum ſub alio potius debeat, quam ſub Auguſtino capite velle tueri religionẽ? hinc enim reliqua proficiſcitur excellentia,

lentia, modo ſe velint facti fratres ad ipſius patris exemplum conformes facere. Nempe ſi magna eſt philoſophorum gloria, vbi clariſſimi alicuius principis diſcipuli & ſectatores dicantur, vt videatur huic magnificum, ſi ſe Pythagoricum referat, alteri quod Socraticum, aut Platonicum; quanta vobis, & quam merita veſtræ religioni laus eſt, Auguſtinum ducem ac parentem habuiſſe?

Accipite igitur cum patre matrem: accipite cum filio genitricem. Vtamini, quantum iuſte libet, alterutro: nam vtriuſque eadem fuerit diſciplina, eadem Regula, eadem inſtitutio. Denique hunc diem vobis ſolemnem facite, atque ita in poſteros, concedentibus, volentibus, ſuadentibus nobis tranſmittite. Hinc quantis poteſtis vocibus ſanctiſſimæ huius matris præſentiam & gloriam declarate. Poſtremo omnes, quoſcumque inueneritis claudos aut debiles, ad cæleſtia auxilia captanda inuitate.

Nec ſilueritis quæ his diebus Romæ apud beatum hoc ſepulchrum edita ſunt; Mulierem, nomine ſiluiam, ex intolerabili dolore capitis, facto voto, continuo liberatam: Mariolam aliam, veſtri fratris ſororem, iam tumore mammillarum, vna & maxima febri morti pene vicinam, tactu ſepulchri mox ſanatam: Puerum illum, ſumpto toxico morientem, à parentibus huic ſanctæ non prius commendatum, quàm ſanatum: Aliam nobilem Romanam, ſimul & paralyticam, & morbo comitiali, quem caducum appellant, vexatam, tacto ſepulcro mox ad integram ſanitatem reſtitutam. Quid dicam, ſterilem illam vxorem fabri, qui ſepulchri eius ferramenta confecerat, expreſſo ad ſepulchrum voto, paulo poſt concepiſſe? quid? eum-

Alia miracula narrãtur.

Vel ex hoc loco cõſtat ſermonem iſtum, qualiſcumq. ſit poſt factã Tranſlationem confectum fuiſſe.

bribus per huius auxilia dimiſſos? præcipue vero quos ex cæcitate ac tenebris in lucem reddidit? recteque hanc opem ſibi aſſumpſit: vel quod illius Doctoris mater eſt, qui doctrinæ ſuæ radijs vniuerſum orbem adhuc illuſtrat; vel item quòd propter eumdem, vt ſuperna luce ſeruaretur, viginti continuos annos apud Deum pijſſimas lachrymas effudit. Et quæ aliquando mœſtis oculis dixit: *Heu, filij mei Auguſtini mortem plango*, Nunc dicat: *Eia, me felicem, quæ per Auguſtinum filium vniuerſo orbi lumen pando*. Hæc vos, fratres mei, auctoribus nobis, nunciate gentibus: hæc prædicate populis: ſimul ipſi tanto ſupernæ gratiæ munere gaudete: ac vos præterea dignos vel tam beatæ matris, vel tanti parentis & doctoris filios diſcipuloſque gerite. Omnes ita genus veſtrum mirentur: omnes vitæ veſtræ inſtituta laudent: denique omnibus Religio veſtra placeat, atque his rebus ſperate, vobis omnia maiora & ampliora ſuccedere. non deſeret enim Deus, quos tantis donis inſignes fecit: non relinquet filios, quibus tam beatos, tamque illuſtres parentes dedit. Ita fient laborantibus ac deuotis omnia parata, modo hinc religioſæ vitæ formam ſumatis; ipſique ceteris exemplo ſitis, quo in manibus veſtris glorificetur Deus, Ordoque ad inſignem numerum ac dignam capite nobilitatem celſitudinemque euadat.

Tum ipſi videbimur idoneo loco noſtræ conceſſionis munus ſtatuiſſe, ſi diligentes ac ſollicitos ſeruandæ huic gratiæ agnouerimus. Atque illi puto, gratiſſimum ac iucundiſſimum fuerit, intelligenti ſe optimorum filiorum gremio receptam.

Hac itaq. cogitatione ſpem veſtram erigite: his conſilijs Ordinem veſtrum confirmate: hac religione caritatem veſtram adornate. Ipſi vos læti ſpectabimus: nos pietatem veſtram ſtudioſa ſinceritate obſeruabimus: denique vobiſcũ tantæ felicitatis gaudia celebrabimus.

FINIS.

LECTORI.

MAPHEVS Vegius Laudenſis D. Martini Papæ V. Datarius ad recipiendas, & honorifice collocandas S. Monicæ reliquias ſacras marmoreum ſepulchrum mira arte elaboratum erigendum tunc curauit, cum illæ Romam transferrentur. Addidit inſuper elegans, & illuſtre in eiuſdem Sanctæ laudem Epigrãma, quo noluimus te carere. Adiunctum eſt prætcrea Epitaphium, quod in eodem Sepulchro marmoreo inciſum extat. Vale.

Maphei Vegij Laudenſis carmen.

SALVE lux matrum: mater ſanctiſſima ſalue:
Salue Auguſtini Monica digna parens.
O, ſalue tanti nati digniſſima mater:
O, ſalue ſexus gloria feminei:
Quæ genuiſti illud cunctis mirabile ſeclis
Eccleſiæ robur, præſidiumque ſacræ.
Eloquij flumen tantum, quo tota rigatur
Lex ſacra, & vbertim lingua latina fluit.
Ingenti, fiumen tantum, quo tota coruſcat
Sacri fidei; omnis impietaſque tremit

Uertiſti longo lacrymarum flumine; quo te
Spargebas, largo ſemper & imbre madens.
Felices ò, quæ tantum lacrymæ, gemituſque
Felices tantum quæ potuere preces.
Quæ trahere ad ſeſe ſummum potuere tonantem,
Ferreque, quæ certe mundus egebat, opem:
Eccleſiam tanto quæ firmauere labantem
Robore felices ò, lacrymæ atque preces.
O, dulces lacrymæ, vincant quæ mella fauoſque,
Quæ vincant dulces nectar & omne, preces.
O, feruens amor, ò, pietas incenſa parentis,
O, qui flagrabat ſancta per oſſa calor.
O, flamma, ò, nulli facile eſt narrabilis ardor,
Materna ò, feruor mentis, & ignis edax,
O, qui te tantus æſtus pia mater agebat,
Et quo ſcandebas impetus aſtra ſuper.
Ardentes tamquam longe volucreſque ſagittæ
Sic ibant lacrymæ vota preceſque tuæ.
Aethereique alte penetrabant pectora regis,
Cogebant illum nulla negare tibi.
Qui maiora etiam, quàm quod ſperare vel vmquam
Auderes, vltro plura ſimulque dare.
O, quantum tibi nos omnes debere fatemur,
Cuius ope eſt mundo reddita tanta ſalus.
Quippe niſi e tenebris ad lumina ſacra rediſſet
Conuerſus meritis filius ipſe tuis,
Altiloquas totum niſi diffudiſſet in orbem
Doctrinas tantis, totque voluminibus.
Errorum niſi tot peſtes ſtrauiſſet iniquas,

Ingenio niſi tot dogmata praua ſuo.
Quid mirum ſi noſtra fides, cultuſque labaſſet,
Si totus noſtræ religionis honos?
Nunc vero ſuperi quando ad veſtigia cæli
Euectam te nunc purior orbis habet:
Quando hæc terrena de fece, & carcere tanto
Eruta tu loca nunc liberiora colis.
Nunc noſtris melius rogitans tu conſule rebus
Pro noſtra melius funde ſalute preces.
Affer opem nunc tu mundo, & ſuccurre labenti.
Succurre afflictis rebus, & affer opem.
Te cunctæ exorant gentes: tibi vota profundunt
Succurre, & cunctis gentibus affer opem.
Omnis te ſexus: omniſque te inuocat ætas
Te quicumque vocent, omnibus affer opem.
Præcipue matres, quarum tu experta labores
Et natis, & tu matribus affer opem.
Te docti ante omnes, ne tu ne deſpice doctos
Nemo tuo nato doctior affer opem.
Salue lux matrum, mater ſanctiſſima ſalue.
O, ſalue æterna laude canenda parens.

Epitaphium in ſepulchro Beatæ Monicæ inciſum.

Hic Auguſtini ſanctam venerare parentem



R O M AE,
Ex Typographia Vincentij
Accolti. 1586.